Albert Kraus,

Candidat der Medicin und Chirurgie,

wird,

um die

medicinische Doctorswürde

zu erlangen,

am 9. Juli 1831, Vormittags um 10 Uhr,

im grofsen Carolin-Saale

öffentlich disputiren,

wozu er geziemend einladet.

Amico et Collegae aestumatissimo
D. D^oi Grosse

d. d. d.
Auctor.

Dissertatio

inauguralis,

quam sub auspiciis

Reverendissimi ac Celsissimi Principis

Domini Domini

Aloysii Josephi

e Comitibus de

Kolowrat Krakowsky

Liberi Baronis de Ugezd,

Dei gratia Archiepiscopi Pragensis, sedis Apostolicae per Inclytum Regnum Bohemiae, nec non per celeberrimas Bambergensem, Misneusem et Ratisbonensem Dioeceses Legati nati, Inclyti Regni Bohemiae Primatis, suae sacrae Caesareo-Regiae Apostolicae Majestatis Consiliarii intimi actualis, sacrae Theologiae Doctoris, Facultatis Theologicae Senioris, almae et antiquissimae Carolo-Ferdinandeae Universitatis Pragensis Cancellarii perpetui et studiorum Protectoris, etc. etc.

sub Rectoratu

Perillustris, Celeberrimi ac Magnifici Viri

Domini

J. Vincentii Krombholz,

Medicinae Doctoris, Pathologiae et Therapiae specialis, nec non institutionum medico-clinicarum C. R. publ. ord. Professoris, Reg. nosocomii generalis Medici Primarii, Instituti surdo-mutorum Physici, Orphanotrophii ad St. Joannem Bapt. Antistitis et Medici ordinarii, Musei nationalis Boh. Membri honorarii, Reg. Boh. Societatis scientiarum Membri ordinarii medico-chirurg. Societatis Berolinensis Membri corresp., Caes. Universitatis Charcoviensis, Reg. Universitatis Pesthiensis Membri honorarii etc. etc., in alma et antiquissima Caes. Reg. Carolo-Ferdinandea Universitate Pragensi h. t. Senatus Academici in Publicis et Politicis Praesidis,

Procancellarii et Rectoris Magnifici;

Sub Directoratu

Magnifici, Perillustris ac Celeberrimi

Domini

Ignatii Nadherny,

Medicinae Doctoris, artis obstetriciae Magistri, ad Inclytum Regni Bohemiae Gubernium Consiliarii Caesareo-Regii actualis, per Bohemiam Protomedici, Medicinae Forensis et Politiae medicae Professoris publici et ordinarii, nec non Rectoris Universitatis optime emeriti, Celeberrimae Facultatis Medicae Praesidis, Senatus Academici in Publicis et Politicis Assessoris atque Studii Medici Directoris etc., etc.

Decano

Illustri, Spectabili ac Celeberrimo

Domino

Francisco Alexio Wünsch,

Medicinae Doctore, Pathologiae et Therapiae generalis, nec non Pharmacologiae Professore supplente, Senatus Academici in publicis et politicis Assessore, Candidatorum pro suprema Doctoratus Medici Laurea Examinatore, etc. etc.

Coram

Caesareo-Regiis in eadem Facultate

Dominis Professoribus

ac

tota celeberrima Facultate

publicae Eruditorum disquisitioni submittit

Albertus Kraus,

Bohemus Humpolecensis, pro suprema Doctoratus medici Laurea, nec non Chirurgiae Candidatus.

In theses adnexas disputabitur in Aula Carolina hora decima, die 9. mensis Julii MDCCCXXXI.



De

Frigoris externi

in curandis morbis acutis febrilibus praestantia in genere, et

de

Methodo perfrigerante

Doctorum Wright et Currie

in specie.

Auctore

Alberto Kraus.

Pragae.
Typis Joannis Spurny.

MDCCCXXXI.

Rem ipsam experimentum et comprobavit et promovebit.

Bacon hist. vitae et mortis.

Manibus

Patris Optimi

hoc

Pietatis Monumentum

consacrat

gratissimus filius.

Proëmium.

Arduam profecto ingredi videor semitam, dum id argumenti genus pertractandum suscipio, in quo viri eruditissimi summo cum studio versabantur; sed veniam in arte Apollinea initianti aequos rerum judices daturos spero, cum non importunum gloriae studium, sed legibus academicis sancitum institutum, quo ad doctoratus lauream aspirans aliquod publicum specimen sub nomine dissertationis inauguralis edere tenetur, me ad calamum arripiendum impulit. Diu mea revolvens mente, qua ratione non doctis, sed docendis ali-

cui saltem utilitati esse possem, me in late diffuso scientiae medicae mari fluctuantem vidi, ad quod thema memet converterem, in ancipiti haesitans. Quid enim est, quaeso, quod non jam toties dictum ac redictum sit? Quid est, quod florentissimo hoc saeculo lateat, aut si latet, quis sum ego, qui ampla hujus artis limina vix ingressus, id conari audeam, quod peritissimorum ac summe perspicacium virorum tam diu eluserat sagacitatem?

Praeopportune autem factum est, ut in clinico nostro medico-practico mihi persaepe data fuerit occasio, frigoris externi in curandis morbis acutis febrilibus praestantiam observandi et examinandi; hinc materiam illam pro dissertationis meae argumento elegi, quae mihi eo facilior elucubratu videbatur, quum summi nominis viri in illa dilucidanda facem mihi praetulerint. Sedulae igitur auctorum, quos mihi conferre licuit, comparationi et novarum quarundam observationum collec-

tioni libellus hicce originem debet. Si placuerit inceptum, laetus acquiescam, quod labor meus non irritus fuerit; sin lectori in arte medica exculto minus arriserit, parcat juventuti, parcat tyroni in praxi nondum versato, ad errores alioquin commissos corrigendos promptissimo! Caeterum errores tyronis auctoritate carent, neminemque seducent.

In elaboratione eum secutus sum ordinem, ut praemissis notitiis historicis, quaedam generalia de frigoris externi virtute medica, de illius vario applicationis modo ac de momentis frigoris usum in genere indicantibus protulerim, dein morbos acutos singillatim enumeraverim, in quibus praxis remedium hocce commendat. Hinc inde morbi historias ex scriptis medicorum practicorum depromptas subjunxi. In fine scarlatinae casum adduxi, quem in clinico nostro frigoris externi usu feliciter tractatum ipse observavi.

Superest, ut Celeberrimo ac Magnifico Viro D. Prof. *Krombholz*, praeceptori summe venerando, pro tot et tantis in me collatis beneficiis gratias agam quam fervidissimas.

Sectio I.

Brevis conspectus historicus.

Vix ullum existit remedium, quod tanta antiquitate gloriari possit, qua balnea in usum, non solum diaeteticum, sed etiam medicum, adhibita. *Herodicus,* quem ante bellum Peloponnesiacum vixisse legimus, cum balneorum usu frictionum morem conjunxit.

Melampus medicus antiquissimus, quae tantum in usum diaeteticum ducta fuerunt balnea, in adversae quoque valetudinis auxilium primus duxisse legitur, dum *Proethi* filias insanientes balneis et helleborismo curavit.

Pythagoras jam balneis magnam tribuit laudem.

Thucydides [a]) pestem tempore belli Peloponnesiaci saevientem describens, multos aegros deliriis abreptos in aquas sese praecipitasse, ac exinde reconvaluisse, memorat.

---

a) *Thucyd.* L. II. C. 49.

Aquae frigidae in morbis curandis usum non esse remedium recens detectum commendatumque ex variis *Hippocratis* b) nec non *Galeni* c) locis demonstrari potest. *Κάταλõυσμος*, seu *καταχυσις*, de quo in libris *Hippocratis* mentio fit, nostram denotat perfusionem. Qui psychrolusiis (lotionibus frigidis aut balneis frigidis, a graeco *ψυχρος* frigidus et *λõυω* lavo) utebantur, psychrolutes vocabantur.

Asclepiades, medicus aestumatissimus, hocce remedio curativo saepius feliciter usus est, et cum balneis jactationem oscillo conjunxit.

Frigidam corporis lotionem conferre ad vitam protrahendam Celsus d) et *Coelius Aurelianus* e) monuere.

Antonius Musa, discipulus *Asclepiadis*, methodicus medicus, Themisonis quoque assecla, Augustum catarrhis et rheumatismo obnoxium, balneis restituit frigidis; ob id non solum illi, sed caeteris quoque medicis aureum gestandi annulum licentia fuit data. Eodem quoque remedio frater ejus Euphorbus saepissime cum fructu usus est.

Serius *Charmis* ex Massilia, et *Agatha* ex Sparta balnea frigida in usum medicatum adversus morbos varios commendavere.

In *Oribasio* f) legimus: »Qui autem huncce brevem vitae cursum sani cupiunt transigere, frigida lavari saepe debent.«

---

b) *Hippocrat.* Aphorism. XXI. — XXV. Sect. X.

c) *Galen.* de comp. pharm. Sect. loc. Lib. II. p. 123.

d) *Cels.* de med. L. c. 1. p. 22.

e) *Coel.* Aurel. de morb. chronic. C. 1.

f) *Oribas.* L. X. C. 7.

Ineunte saeculo tertio post Christ. natum *Caesarem Severum* arthritide laborantem balnea frigida a Lampridio commendata optimo cum effectu adhibuisse accepimus.

Romanos et tempore hiberno a frigidis balneis non abhorruisse ex *Plinio* g) comperimus.

Sed e remedio tam salubri et ad conservandam sanitatem adeo benefico in mollissimam corpus lavandi lubidinem omnes fere delapsi sunt Romani, ut nobiliores, ita plebeji, tum privatim, tum publice quotidianum lavacrum insolentius frequentantes. Romanae id omnes testantur historiae, quae summa impensa exstructas thermas Agrippinas, Neronianas, Diocletianas et reliquas id genus memorant. Res eo processit, ut quisque ditior in privatis aedibus eas construeret.

Constabant ipsorum balnea e tribus domiciliis, in quibus diversorum graduum calor erat. In primo se denudabant, in altero ungüebant, in tertio solium erat aut labrum sive vas, in quo lavabantur, ne subitaneos vicissitudinis sentirent effectus; ex calida in frigidam sese praecipitabant, postremo exsudabant atque sudorem abstergebant strigili, id, quod apud Russorum robustissimam gentem adhucdum in usu esse comperimus, dum e balneo summopere calido sese in nives projiciunt; sane ita *ferrum candens induratur!* Aegrotantes per varias gradu caloris aquae misturas lavabantur, donec frigida perfunderentur; loti primum spongia resiccabantur, postea linteo,

---

g) *Plin.* hist. natur. C. 29.

et quidem imprimis caput admodum diligenter, dein artus aliaeque corporis partes.

Anno 1572 et *Baccius* [h]) in opere suo praestantissimo calidorum frigidorum balneorum usum variis in morbis laudibus effert.

Alpinus, [i]) decimi sexti quoque saeculi medicus, Aegyptis adversus febres putridas balnea frigida remedium curativum fuisse, narrat.

Et *Teutones* balneorum frigidorum amicissimos fuisse ex *Julio Caesare* (C. J. de bello Gallic. l. 6) *Tacito* et *Herodiano* accepimus.

Septentrionalibus gentibus se lavandi frigidis ad corpus firmandum vetus jam est mos.

Ineunte saeculo decimo septimo jam *Vander Heyden* tractatum edidit de effectibus eximiis aquae frigidae usus ex- et interni, qui sermone latino, gallico, anglico et italico reddebatur.

Saeculo decimo octavo balneorum frigidorum usum, illorum apud varios populos progressum, incrementum et decrementum scriptis docte prosecuti sunt:

Schmid, [k]) *Floyer*, [l]) *Hahn*, [m]) *Bergius*, [n])

---

h) *Andr*. Baccius de thermis Venet. 1572. CXIII. p. 112 et seq. CXV. p. 96 seq.

i) *Alpin* de med. Aegypt.

k) *Schmid* Dissertatio inaugur. Jenae 1717.

l) *Floyer* Psychrolusia or the history of cold bathing ancient and modern 1702; übersetzt von *Sommer* 1749.

m) *Johann Siegmund Hahns* Unterricht von der Kraft und Wirkung des frischen Wassers. 1743.

n) *Bergius* Abhandlung von den kalten Bädern; übersetzt von *Rhades*. Seite 110.

Bloch o), *Danter* p), *Ferro* q), *Kuehn* r), *Nicolai* s), *Herz* t), *Neubeck* u), *Marcard* v).

Summam autem de restituendo aquae frigidae usu medico praecipue in morbis febrilibus acutis laudem duo perillustres medici anglici, *Wright* w) videlicet et *Currie* x), meruere, quorum primus ipse 1777 maligna tentatus febri contagiosa, psychrolusiis suo ipsius consilio admissis servatus est.

Currie qua cultor vindexque hujus remedii nominandus venit. Ipsi laus justa tribuenda est, primum fuisse, qui remedium hoc a medicis vilipensum non tantum oblivioni eripuit, sed etiam circumstantias

---

o) *Bloch* vom innerlichen und äusserlichen Gebrauche des kalten Wassers in Nervenkrankheiten.

p) *Nathan. Ernest. Danter*, Dissertatio de usu aquae frigidae externo topico. Goettingen 1780.

q) *Ferro* Gebrauch des kalten Bades. Wien 1781 und 1790. gr. 8.

r) *Kuehn* Dissertatio de saluberrimo usu aquae frigidae externe applicatae in haemorrhagiis 1783.

s) *Nicolai* Programmata de usu aquae frigidae externo in haemorrhagiis 1783.

t) *Marcus Herz* Briefe an Aerzte, erste Sammlung p. 47 et seq.

u) *Neubeck* Dissert. de natatione frigida. Jenae 1789.

v) *Markard* über die Natur und Gebrauch der Bäder.

w) *Wright* Lond. Journ. med. for the Year 1786. Sammlung aus auserlesenen Abhandlung. f. p. A. XII. B. S. 25.

x) *I. Currie* reports or the effects of waters in fevers etc. Liverpool Vol. I. 1801. II. 1804; übers. von *Hegewisch* 2. B. 1801. 1807.

curatius delineavit, in quibus ex usu externo aquae frigidae in forma lotionum et affusionum auxilii quid sit sperandum.

Liceat, quae ill. *J. Frank* y) de illo medico protulit, notare: *James Currie* geniefst die allgemeine Achtung Brittaniens im vollsten Maafse, nicht nur als Arzt, sondern als Mensch. Seine Verdienste in Liverpool stehen mit der Dankbarkeit dieser Bewohner in gleichem Verhältnisse.

Frank ipse, qui in Anglia medicum *Dalrymple* aquam frigidam externe in morbis malignis contagiosis feliciter adhibere saepissime vidit, in nosocomio Viennensi undecies hocce remedio usus est adversus typhum contagiosum atque, ut effatur, optimo cum effectu. z)

E viris practicis, qui saeculo decimo nono Anglos inter aquam frigidam in curandis morbis febrilibus externe bono cum successu adhibuerunt, nomino: *Dalrymple, Gregory,* qui in suo infante psychrolusias instituit, *Dimsdale, Home, Martineau, Marshall, Farghuar, Margrath, Cochrane* 1800, *Simpson,* qui 1802 septem mensium spatio 120 praebuit exempla, in quibus versus typhum contagiosum aqua frigida cum emolumento externe fuit adhibita; *Bonta, Antonio Gomez* 1803, *Nagle* et *Devar* 1806, *M' Gregor, M' Lean, Jacson, Mameil, Maceuil, Robertson, Davidson, Mackin, Rush, Seldem, Whitead* a).

---

y) *I. Frank* Reisen. 2. B. 1803. S. 287.

z) Med. Annal. 1806 p. 111 — 114.

a) In op. cit. Currici p. 39 — 238.

Speciatim de horum virorum experimentis verba faciendi alibi adhuc opportunitas erit.

Horn [b]) fausta sua experimenta, quae remedio hocce in typho contagioso et febri nosolochiali instituit, publice edidit.

Hufeland [c]) praestantiam aquae frigidae externe applicatae in curandis variis morbis acutis et chronicis scriptis suis scite prosecutus est.

Febri putridae methodum hancce magno cum emolumento opponi posse affirmat *Hecker* [d]). Inter Italos medicos primus, qui methodum cel. *Currie*, frigidas affusiones videlicet, in curandis morbis febrilibus adhibuit, laudandus est *Gianini* [e]).

Milius, [f]) eximius exsecutor hujus methodi, in tractatu suo effatur »Jam hanc ob causam usus aquae frigidae externus feliciori eventu coronaretur, si versus febres nervosas putridas et exanthematicas adhiberetur, quia hi morbi ex mala consuetudine mox a principio excitantibus remediis tractantur.«

Reuss [g]) eodem tempore, quo *Horn*, observationes suas usum aquae frigidae externe applicatae

---

b) *Horn*. Erfahrung über die Heilung der ansteckenden Nervenfieber 1814.

c) *Hufeland* über die Kriegspest.
Idem, Erinnerung an die Bäder und ihre Widerherstellung in Deutschland 1801. Vergl. *Hufeland* gem. Aufsatz Bd. 1.

d) *Hecker* über die Natur und Heilart der Faulfieber 1809.

e) *Gianini* de la nature de fievres et de la meilleure methode de les traiter etc. traduit par *M. Heurteloup* 1828.

f) *Hufel.* Journal Suppl. B. 1823 p. 10.

g) *Reus* Wesen der *Exantheme*, mit Anleitung alle pestartige Krankheiten einfach, leicht, geschwind

testantes litteris mandavit. Laudat applicationem hujus remedii inprimis in morbis febrilibus contagiosis exanthematicis.

In civitate Austriaca cel. *Anton Froehlich* h) primus fuit, qui psychrolusias in curandis morbis febrilibus exanthematicis optimo cum successu in subsidium vocavit.

Anno **1821** medici in *Hufel.* Journ. praemio invitati sunt ad tractatum componendum, quo praestantia curationis febrium secundum mentem Currie, aquae frigidae videlicet externo usu, propriis institutis experimentis nec non adducendis aliorum magni nominis medicorum scriptis ac observationibus de hacce methodo curativa clarius redderetur.

Lauream inde reportavit *Froehlich* in tractatu suo: De externo usu aquae frigidae ad moderandum

---

und sicher zu heilen, 1. Theil, Aschaffenberg 1814, 1815. Nachtrag, Selbständig exanthem. Form und Identität des Fleckenfiebers mit der orientalischen Pest — Kälte, das direkt, gleichsam spezifische Mittel, Nürnberg bei Riegel Wiessner 1815.

h) *Anton Froehlich*, Abhandlung von dem auffallenden Nutzen des kalten und lauen Wassers in Fieberkrankheiten und Scharlach insbesondere. Wien 1818, gr. 8.
Idem, Abhandlung über die kräftige, sichere und schnelle Wirkung der Uebergiessungen und Bäder in kaltem und lauem Wasser im Faul- Nerven- Gallen- Brenn- und Scharlachfieber, Masern und in einigen andern langw. Krankheiten, auch eine Sammlung von eigenen und mehreren tausend Erfahrungen berühmter Aerzte bestättigt. Wien 1820, gr. 8.

aestum febrilem, vernaculo idiomate reddito in *Hufel.* Suppl. 1823. Nisi eadem, tamen laude sua omnino dignos tractatus palmam pariter ambientes *J. Reuss* et *J. St. Pittschaft* conscripserunt, qui in eodem tomo typis mandati legi possunt.

Varia adhuc scripta, hercle numerosa huc illuc dissipata, non hic, sed alio loco notabo, ne lectorum indulgentiam ac patientiam exhaurire accuser.

Sectio II.

De effectu frigoris in genere.

§. 1.

Ad effectus psychrolusiarum intelligendos illos, quos frigus generatim, qua potissimum in illis agens, in organismum vivum procreare valet, rescire oportet. Pertinet frigus inter stimulos maxime diffusibiles, dynamicos, cujus actioni cutis externa non resistit; physica enim illius actio virtutem medicam simul conducere juvat. Valet de frigore, quod de calore, electricitate, animalismo et magnetismo, quod videlicet per cutem illius effectus latius extendantur. Ad externam frigoris applicationem medicus confugit, dum consilium est, *caloricum nimie extricatum detrahendi, electricitatem conducendi, partes organicas perfrigerandi, systema nervosum repercutiendi, humorum orgasmum reprimendi, infractam cohaesionem textus cellulosi fibraeque irritabilis restituendi tonumque deperditum revo-*

candi. Frigus igitur ut *debilitando*, ita *roborando* seu potius *incitando* in organismum vivum agere potest. Sed non una simul duplicem hunc effectum producere valet. Qui ut comprehendantur, actionem primariam a secundaria rite distinguere oportet. Primaria frigoris actio physica est, caloricum detrahit, ac partes organicas cogit, nisum expansivum reprimit, contractionem majorem provocat. Pro varia autem illius actionis in - et extensitate, pro vario applicationis tempore, loco et medio, pro varia individui, quod aggreditur, conditione vitali, constitutione, idiosyncrasia, consuetudine, effectus quoque varie modificati in lucem prodeunt. Primo sub contactu frigidi medii cum organismo vivo ex stimulo peregrino sat intenso major oritur reactio systematis nervosi centralis, majore contractione omnium musculorum voluntariorum conspicua, oriuntur horripilationes, tremores et, si altius extenditur, horror conquassans. Ubique factor contractivus praepondium acquirit prae expansivo, contrahitur cutis et perstringitur, unde, quod anserinam vocant cutem, conspicuum. Constrictio haecce partibus vicinis communicatur, comprimuntur arteriae, quae quoque ad majorem contractionem cientur, si nimio calore essent dilatatae, affluxus sanguinis reprimitur, refluxus citatur, turgor cutaneus ruborque imminuitur, obtunditur sensilitas, deperditur mobilitas. Sublato frigoris stimulo gradus minoris, symptomata illa mox disparent absque incommodo reliquae oeconomiae animalis. Ex frigore aut nimis intenso aut diutius agente omnis motus musculorum voluntariorum impeditur, artus contremiscunt, obstupes-

scunt, rigescunt. Sanguis e peripheria ad centrum pulsus cor et vasa centralia mole sua nimia obruit; ob nimium autem canalium periphericorum spasmum sanguis ad peripheriam propelli non valet, unde motus circulatorius retardatur, oritur anxietas, respiratio difficilis; ex nimia simul oppletione vasorum cerebralium actio cerebri quoque pessumdatur, inducitur *somnus* et mox, nisi frigus agere desinat, mors *apoplectica*.

Frigoris actionem primariam stimulo sublato *major reactio organismi* qua effectus secundarius subsequitur. Reviviscit nisus expansivus, turgor, rubor, calorque cutaneus redit, spasmus solvitur, citatur humorum ad peripheriam appulsus, oritur in cute sensus pruriens, omnesque functiones liberius procedunt: respiratio fit placidior et liberior, motus cordis et vasorum alacriores, pulsus fit plenior, frequentior, magis resistens, dein mollis, magnus, motus muscularis fit agilior, functio cutis resuscitatur, aeque omnes reliquae se- et excretiones per tempus suspensae restituuntur. Quam autem ad reactionem energia quaedam organismo inesse debet, quae si ad imum esset fracta, facili negotio plane exhauriretur, ac omnis vitalitas ab illo stimulo vinceretur.

Ex adductis est videre, vim debilitantem antiphlogisticam frigoris ex illius actione *continua* paulatim *increscente*, plagam *majorem* tangente, aequa duratione sensim sensimque *decrescente* luculentissime emergere; frigus autem *momentaneum* per intervalla magna agens simul etiam *incitamento* magno organismo vivo verti. *Caloricum bene* conducunt: *frigida metalla, aqua frigida,* et *aër frigidus.*

Medicus in scopum suum vel aquam frigidam vel aërem frigidum seligit. Praevalet autem aqua frigida aëre frigido.

1. Quia omni anni tempore facile comparari potest.

2. Quia in selectu temperaturae aquae facilius gradus caloris augeri ac iterum minui potest.

3. In pluribus aegris tractandis, quorum quivis aliam exigit temperaturam, id usu aquae facilius effici potest absque incommodo aliorum ut aegrotorum, ita sanorum, quibus aegri circumdantur.

4. Aqua frigida avidius, quam aër frigidus siccus caloricum detrahit. In casu cutis pertinaciter siccae humectatione negativa superficiei cutaneae polaritas invertitur, simul aquae evaporatione multum detrahitur calorici.

5. In aqua simul aliae materies medicamentosae, si juvat, solvi possunt.

In usum therapeuticum vel

1. Ille gradus seligitur, qui ad *glaciem* accedit, vel inde nonnisi *decem* aut *duodecim* gradus distat, vel

2. *egelida*, quorum gradus frigoris a duodecimo ad vigesimum septimum usque extenditur.

Determinatur gradus temperaturae aquae partim per aegri constitutionem, idiosyncrasiam, aversionem aut desiderium, consuetudinem, aetatem, aëris athmosphaerici conditionem, per clyma, anni tempus, partim, praeprimis in morbis acutis febrilibus, per calorem cutis thermoscopio explorandum aliaque symptomata morbosa.

De applicatione varia aquae frigidae.

§. 2.

Formae, sub quibus aqua frigida applicari valet, sunt:

1. *Balnea*, *a. universalia*, dum corpus integrum aquae immergitur, ut omnes illius partes circumfluat. *b. topica*, si pars quaedam tantum balneo utitur. Quodsi aqua ad medietatem corporis usque adscendat, *semicupium* audit, *maniluvium*, ubi manus, *pediluvium*, ubi pedes aut crura aquis immerguntur, *insessus* vero dicitur, si pelvis tantum ac superior femorum pars balneo utitur.

2. *Aspersiones*, *affusiones* (Sturzbad), dum aegrotans ex *alto* aqua perfunditur; quae affusiones iterum sunt:

a. universales, dum tota corporis superficies applicatione talismodi obvia petitur.

Huc pertinet *impluvium*, quod vernaculo idiomate Regen- oder Schauerbad redditur, dum ex vase multis parvis aperturis patente, uti ex cribro, vel ex gutto, quo hortulani utuntur, corpus aspergitur.

b. topicae, si pars quaedam corporis tali modo rigatur.

Species hujus applicationis methodi sunt:

a. Balneum stillatitium, seu stillicidum (Tropfbad), dum singulae tantum stillae, seu guttae ex alto ad partes demittuntur nudas v. c. ad caput abrasis capillis, quae applicationis forma tantam ciet sensationem ingratam, ut in dolorem nonnunquam intollerabilem abeat, unde haecce operatio in dede-

cus hominum Hispanis olim tortura fuit, qui mos jam exoluit. Commendatur haecce methodus in *asphyxia neonatorum* a *Niemeyer*, medico in Brunsuico (Braunschweiger Magazin 17. 93. — St. 37). Suadet medicus ille aquam frigidam stillatim ex vase apto ad regionem scrobiculi cordis demittere, simulque illam partem per vices fricare.

b. Balneum ducciae, Italis doccia, Gallis douche (Spritzbad), dum pars quaedam modo majori, modo minori aquae radio ex cannula magis minusve angusta proprii mechanismi vi ejaculatae petitur.

3. *Embrocationes frigidae* (a graeco ἐμβροχή emollitio, fomentatio, ἐμβρεχω emollire, intingere, humectare, impluere). Embregma seu embrocatio medicamentum etiam denotat fluidum, consistentiae unguenti, oleosum, quod vices linimenti et fomentationis una simul explet. Nos sub hac voce intelligimus illam operationem, dum aqua ope linteorum aut spongiae vel vesicae corpori admovetur. Huc referendae sunt *lotiones* cum spongia. — Universalibus balneis maximae efficaciae adnumeranda adhuc veniunt: *Immersiones*, dum aeger subito aquis immergitur, et *balneum marinum*.

De methodo affusiones exhibendi in genere.

§. 3.

Qui perfundendus est aeger, labro aut vacuo, si in totum agere est truncum, aut ad duas tertias spatii usque aqua tepidula repleto, si caput solum aut su-

perior trunci pars rigari debet, insidet; tunc rigator seu balneator majorem minoremve aquae frigidae copiam (plerumque quatuor aut quinque amphoras) ex altitudine binorum triumve pedum, nonnunquam altius supra partem irrigandam demittit. Si consilium est, caput tantum perfundendi, tum balneator collum panno cerato vel faciolo sphaerice retorto circumdet, est necesse, tunc aeger aquam superne recipit. Moris est autem caput prius abradere, eam saltem, quam guttae delabentes feriunt partem, quatuor digitorum latitudine ac duorum longitudine a coronali versus sagittalem suturam, idque mane diluculo ac vesperi alvo exinnanita, ventriculo jejuno, vel si minus sunt validi aegri, *semel* in die subeant, per quindecim aut triginta dies pro morbi ratione. Optima vero ratione ad hunc usum bregma proponitur, hoc est a vertice usque ad frontem capitis pars. Hic locus ministerio stillicidii aut ducciae aptissimus est; exinde facile ex nervorum communicatione a capite ad partes subjectas corporis effectus propagatur. Est quoque hic loci cranii major tenuitas, major suturarum occurrentium latitudo. Tempus in specie pro conditionibus variis varium est, ad horae spatium et amplius pro aegri individualitate et mali intensitate extendi potest.

Aeger e balneo egressus bene detergitur ac resiccatur, tunc lecto committitur, et calidis lodicibus modicis tamen fovetur; caput, sive derasa capitis pars panno laneo aut vitta obtegenda, ne frigori novo exponatur, et ut vividior in parte externa provocetur reactio, majorque fiat ex penetralibus derivatio. Monente cel. *Luca* virtus embrochae summopere auge

tur, si frictio illi jungitur. Quodsi vero praeprimis stillicidio aut duccia sensatio nimis dolorifica cieretur, guttarum ex alto cadentium gravitas et vis linteo triplici duplicato aut triplicato infringi potest.

Ubi medicus aegrum e lecto removere non vult, aut non potest, ibi, si capitis affusio juvat, etiam in lecto, sponda a pariete remota, capite paululum extra lectum inclinato, substrato panno cerato, perfusio fieri potest. Infantes brachiis cujusdam excipiuntur, ut situ horizontali jaceant, capite quidpiam prono, tunc vase quodam suggesto, ut aqua iterum excipi, pavimentique madefactio evitari possit, sic perfusio facili negotio instituitur. Repetitio psychrolusiarum determinatis canonibus vix subjici potest. Medicum, morbi forma, vehementia, pertinacia, levamen ex hacce cura inductum aliaeque plures adhuc circumstantiae in iterandis balneis aut affusionibus dirigat est necesse.

De effectu psychrolusiarum generatim.

§. 4.

Psychrolusiarum effectus, paucis ut exprimam, compositi sunt *ex frigoris actione, insigni systematis nervosi repercussioni nupta.* Pro usu externo aquae vario effectus varii distinguuntur.

Phaenomena, quae ex usu balnei frigidi sensibus percipiuntur, duobus absolvuntur momentis.

Sub usu balnei vehemens oritur ex systemate nervoso peripherico exiens, brevi autem ad totum systema nervosum nec non musculare transplantata concussio, inducitur status a paroxysmo febrili non absonus. Cutis contrahitur, cogitur, pallescit, livescit, fit anserina, accuminatur sub frigore intenso nasus, caerulescunt ungues, spasmus cutaneus dein in universalem transit, aeger horripilationibus tentatur, majore in gradu horrore valido, tremore artuum, stridore dentium, cardiopalmo, pulsus fit spasmodicus, irregularis, respiratio anxia, in plerisque tenesmus ad mingendum nec non ad alvum deponendam.

Post usum balnei, dum aeger lecto reponitur, dolorifica frigoris sensatio in *blandum, beneficum*, per *universam cutis plagam sese extendentem caloris sensum* mutatur; omnia systemata vividiori excellunt reactione, increscit fibrae muscularis elater, si atonia peccaverit, pulsus fit plenior, explanatior, regularis ita, ut credi possit, aegrum versari in *stadio caloris insultus febrilis.* Mox insequuntur alia nisus expansivi reviviscentis indicia, cutis functio liberius procedit, omnes se- et excretiones vividius absolvuntur, urina fit turbida. Balneis frigidis justo diutius adhibitis, magna induci potest debilitas; caloricum enim majori copia detrahitur, motus organicus subigitur, omnes functiones *sensibilitatis, irritabilitatis et reproductionis* pessumdantur, unde vitae insidiae haud exiguae struuntur.

Effectus lotionum medium tenent balnea frigida inter et affusiones. Applicatione earum organismus mitiori modo afficitur; systematis nervosi percussio, quae lotiones subsequitur, est multo blandior, cutis functio leniter excitatur, aestus molestus paulatim minuitur absque omni reliquae oeconomiae animalis turba notabili. Methodus haecce in morbis acutis inflammatoriis accommodatissima est.

Efficacissima vero frigoris applicatio est illa sub forma affusionis.

1. Tali ratione externa corporis superficies omnibus in punctis obviis aqua destillante celerrime tangitur.

2. Caloricum liberum in morbis febrilibus citra normam extricatum innovata semper frigoris actione avidius absorbetur. Aqua enim frigida sub tali applicatione non potest cum calore animali in aequilibrium poni, quia aquae radii superficiem vix tangentes eam mox iterum defluendo derelinquunt.

3. Potest haecce applicationis forma facili negotio saepius de die repeti.

4. Aquae ex alto cadentes non tantum caloricum citissime detrahunt, sed etiam pressione ac gravitate in systema nervosum concutiendum potenter agunt, ita, ut vix ullus dari possit stimulus, qui tam efficax sit ad sublatum aequipondium sensibilitatem inter ac incitationem restituendum. Accedunt adhuc *terroris effectus,* percutientes, nervosum systema alterantes.

Qua sub adhibitione iterum *duo* discerni possunt *momenta.*

In exordio praevalet nisus *contractionis*, qui spasmo cutaneo, humorum versus internas partes refluxu se manifestat, serius praedominium acquirit motus organicus, qui vero, si propter nimiam caloris evolutionem vehementia peccaverit, post affusionem multo mitior magisque harmonicus apparet.

A. Momenta, quae in morbis acutis febrilibus frigoris actionem magis continuam sub forma balneorum universalium aut lotionum indicant.

§. 5.

1. Magna ac ultra normam exaltata caloris liberi, thermoscopio metiendi in pyrexiis extricatio, cutis sicca, pergamenea, ita, ut ex rapidiori metamorphosi decompositio materiei organicae minitetur.

2. Inflammationes topicae, ubi medici scopus est, humorum affluxum ad peripheriam arcendi, refluxum accellerandi, inflammationis resolutionem promovendi, omnique alii inflammationis exitui obicem ponendi.

3. Exaltata sensilitas, erethismus nervosus, status sanguinis orgasticus, materiei organicae, praecipue fibrae plasticae ob nimium nisum expansivum insidians.

4. Praevalens in febribus acutis venositas, decompositionem putridam minitans, *synochus putris*.

5. Febres contagiosae, malginae exanthematicae.

6. Haemorhagiae effrenes ex nimio nervorum aut vasorum erethismo, aut rapidiore materiei decompositione progenitae et sustentatae.

B. *Momenta repentinam ac momentaneam frigoris actionem in forma affusionis frigidae indicantia:*

1. Sensilitas systematis nervosi centralis citra normam exaltata, inprimis, si vividiori incitationi vasorum cerebralium genesin debet. Symptomata statum huncce denotantia sunt: *Capitis aestus nimius, assiduus, perviglia pertinacia, deliria continua, furiosa cum clamore, ingens virium exuberantia, fuga, assumendorum aversio, plenaria notissimorum inconscientia, carotidum et temporalium vasorum fortis pulsatio, respiratio magna subbimis, offensans, anxietas, jactitatio, stragulorum impatientia, tremores, convulsiones,* cum *cute* simul *sicca, imperspirabili.*

2. Prostrata et succumbente systematis nervosi tum periplierici quam centralis energia cum *morbida mentis indifferentia, typhomania, indolentia, pulsu praelanguido, respiratione tarda, difficili,* praecipue, si morbus contagio originem debet, uti hoc in febribus *nervosis, typhosis, exanthematicis* locum habet, dum non tantum caloricum detrahere, sed suppressam activitatem systematis nervosi erigere, in animo medici est.

3. Nimius torpor in systemate sanguifero, in musculis, in vasis lymphaticis obveniens.

4. Ubique, ubi violentissimum pro systemate nervoso stimulum in usum trahere juvat.

Contraindicationes nullae dari possunt, si momenta adsunt indicantia, nam contradictionem involvit, ubi remedium indicatur, non contraindicatur. Indica-

tiones desumuntur ex *summa* omnium symptomatum morbosorum aliisque circumstantiis, quo in casu de contraindicatione sermo non esse potest. Sed uti in omni remedio, ita praecipue in nostro magis differenti, cautio adhibenda. Jam *Friedr. Hoffmannus* in tomo p. I. p. 153 dicit: Nuspiam enim memini tale remedium in universa rerum natura occurrere, quod, si potens est in agendo, non etiam noceret, si perverse quis utatur. Hinc cautelarum sequentium ratio habenda:

1. Aeger parvis aspersionibus ad fortiores praeparetur.

2. Singulis affusionibus interpolentur justa intervalla. Neglecta hacce regula magna parari possunt incommoda. Positivo enim vitae principio ad imum depresso, negativo ad summum intenso magnam in oeconomia animali excitari turbam necesse est.

3. Abstinendum est a frigidis in febribus sub stadio sudoris aut frigoris, vel dum sub applicatione frigoris horror magnus exoritur.

4. Reliquus apparatus pharmaceuticus non est negligendus, praeprimis sanguinis missiones sub phlogosi vehementiori aut symphoresi activa gradus majoris.

Sub summa debilitate ac viribus revera deficientibus a frigoris usu supersedendum. Stimulo enim hocce negativo, quae restant adhuc biotica principia, exhauriuntur, et mors acceleratur.

6. Thermometri usus nunquam negligendus, quo calor apparens a revera exuberante dignosci gradusque frigoris statui morboso, praeprimis aestui febrili opponendus, certius discerni possit.

Sectio III.

Sequitur nunc, ut morbi acuti febriles singulatim enumerentur, in quibus praxis usum aquae frigidae externum utilem invenit. Tales sunt:

A. Pyrexiae.

§. 6.

Per magnam annorum seriem febrium cura principiis *Sydenhami* et *Boerhaavi* magis fuit accomodata.

Primus summam vim medicatricem soli naturae tribuens omnia removeri voluit, quae illam in operatione sua turbare possent, omnia e contrario subministranda praecipiebat, quae eam in materie morbifica expellenda adjuvarent. Alter febris causam in sanguinis lentore quaerebat; quo factum, ut a febricitantibus omnia excluderentur, quae naturam in operatione sua critica turbarent neque medicus quisquam de frigido febrium tractamine cogitare auderet. Aegri febri laborantes potius ab aëre frigido ac puro anxie excludebantur, calor febrilis increscens, diluentibus potulentis ac calidis saepius aegris porrigendis adhuc augbeatur; admovebantur alia adhuc corpora calida, vestimenta, lodices, ut calore aucto sudor materiem morbificam eliminans promoveretur. Qua revera *crudeli* febrium cura permulti aeterno traditi sunt somno,

qui therapia naturae morbi magis consona diutius servari potuissent. Sed monstrabant viam hancce medici dignisimi, hinc nemo sectatorum eam relinquere audebat, et quum *et pessima methodo non trucidentur omnes*, medici huic curae confidebant. Tractamen vero febrium frigidum non recentem esse inventionem medicorum neotericorum, sed quoque a medicis antiquissimis tentatum ac laudatum fuisse, patefit, si eorum scripta medica volvamus.

In *Celso* i) legimus: »Etiam amplo conclavi aeger tenendus, neque multis vestimentis strangulandus, sed admodum levibus tantum velandus. Possunt etiam supra stomachum imponi folia vitis aqua frigida humefacta.«

In *Caelio Aureliano* k) notatur: »In statu febris accessionis fovendum dicimus caput oleo frigido atque Hispano recenter adhibito, etiam aequali motu aëris adcommodato. Utendum etiam spongiis tenellis ex aqua frigida expressis, quibus ora atque colla aegrotantis circumtegentes virium resumptionem faciamus, temporum intervallis innovandis.«

Galenus l) refert: In prima febris accessione inclinante ducendi in balneum omnes sunt.

In *Oribasii collect.* m) de calida et frigida lavatione sermo est.

---

i) *Celsus* Lib. 3. c. 7. curat. ard. febr.

k) *Cael.* Aurel. tom. I. Lib. II.

l) *Galen.* lib. 8. caput. 3.

m) *Oribas.* collect. epitome ex Agathino p. 284. edit. Moscov.

Clementius Clementinus medicus saeculi decimi sexti in febribus acutis frigida regioni cordis admovebat, ut aestum nimium reprimeret.

Etiam *Rhazes* affusiones frigidas ad aestum febrilem minuendum laudat.

Sed ob praeconceptam opinionem de summa moderati caloris in cura febrium efficacia et necessitate et ob infaustos exitus, quos et vulgus et medici unico tractamini frigido adscripserunt, nullo habito respectu, quod vel ex iniqua applicatione vel ex aliis infaustis nonnunquam circumstantiis infelix eventus sit deducendus, remedium hoc opportuno tempore febribus optimo cum successu opponendum, oblivioni traditum est. *Currie* [n]) primus erat, qui praeter *Hahn* [o]) et *Wright* [p]) hocce remedium aestimandum densis, queis immersum jacebat, tenebris eripuit, et in lucem vitamque revocavit.

Quaedam de Methodo Currie in morbis acutis febrilibus.

§. 7.

Affusiones frigidae in primis febris diebus institutae secundum experimenta, quae Currie ejusque sectatores instituerunt, febrem fugant, quod subinde

---

n) l. c.

o) l. c.

p) l. c.

febri jam protracta fieri solet, dum sub *cute sicca, aestu permolesto, reali* non *fugaci*, sub *deliriis, irrequie, jactitatione* in auxilium vocatur. Hocce tractamine morbum febrilem tutius ac celerius ad finem perduci affirmat. In morbis febrilibus infantum frigoris applicatio ipsi sistit remedium praestantissimum; dissuadet autem usum frigoris in inflammationibus organorum penetralium. Nunquam ex frigido tractamine justo tempore in subsidium vocato, damna vidisse declarat. Primo in stadio febris persaepe in ovo suffocabatur, aut saltem per illud morbi decursus mitior reddebatur.

Simul efficacia aliorum remediorum exinde acuebatur. Etiam in febribus catarrho stipatis remedium hocce applicari potuit, non minus utile erat sub coelo calido, sub salivatione. In scarlatina reliquis remediis palmam eripuit, in typho sub usu hujus remedii et vino et china se carere potuisse fatetur. In morbillis, remedium casu fortuito adhibitum morbum non pejorem sed mitiorem reddebat. Cum emolumento usus est hocce remedio *in influenza*. Ubi autem votis non respondebat, ibi morbi atrocitas malignitasque, quae jam a principio in propatulum veniebat, vel status putridus paralyticus inculpandus erat. Sed in morborum febrilium forma sueta, si calor ad 120° *Fahrenh.* increvit, affusiones frigidae perutiles erant. Apparatus, quo *Currie* ad affusiones instituendas usus est, erat cista quadrangularis, super quam suspendebatur vas ligneum cistae mobile adfixum. Quum aeger infundendus esset, illud vas, quod amphoram aquae circiter continebat, ope funiculi vasi adnexi evertebatur, quo aqua super aegrum subito effundebatur.

Quo facto aeger resiccatus, lecto committitur. Dum solummodo corpus lavandi consilium est, tota superficies spongia, aqua frigida imbuta, per vices humectatur, tum aeger lodicibus fovetur. Plerique aegri post affusiones aut lotiones *euphoriam* persentiunt ita, ut *repetitionem* nonnunquam ardore aestuantes sponte desiderent, decrescit calor morbose auctus, nonnunquam plane vincitur, pulsus fit tardus, mollis, plerumque et sudor extricatur, quo facto affusionem seu lotionem repetre non licet. Regredientibus vero symptomatibus morbosis tractamen illud expostulantibus, operatio reiteranda est, ita, ut relicta semper aliquot horarum intercapedine aliquoties in die replicari possit. Quo magis corpus aegrotantis fervet, eo major evadit perfusionis praestantia. Discussa per repetitum aquarum frigidarum usum morbi vehementia, quae restant adhuc symptomata morbosa, aquis egelidis simili modo superinfusis dispelluntur, neque aliquid timendum a virium debilitate et temulentia, quae interdum aegris hac methodo tractatis supervenit, dummodo postea a frigore defendantur, et moderata temperie foveantur.

Fröhlich, methodi hujus amicissimus, eam multis effert laudibus, quae *tuto* et *cito* morbos febriles curare, ac in summo vitae periculo facile absque magnis impensis adhiberi potest. Cujus remedii in curandis morbis febrilibus pretium non viliuspendendum, quam emeticorum in cura morborum ex saburra, depletionum sanguinearum in cura inflammationum. Praevalet autem nostra cura, quia in summo vitae periculo, morbo jam protracto, id praestare potest, quod a remediis antedictis a principio tantum sperandum est; nec debilitat emeticorum, diaphoreticorum et sanguinis eva-

cuationum adinstar. Reconvalescentia tali modo citius ac malis post-humis non relictis, invitatur.

Schema ad determinandam temperaturam aquae in scopum balneorum aut lotionum secundum aestum febrilem ex mente cel. Fröhlich.

Temperatura corporis.		Temperatura aque.		Tempus	
				Minuta	
Scalae Reaum.	Scalae Fahrenh.	Scalae Reaumurianae.	Scalae Fährenheit.	lavandi	balneandi
29½	98	26	90	4	—
30	99	23½	85	4	—
30⅓	100	19	75	4	½ — 1
30⅔	101	14⅔ — 17	65 — 70	6	1 — 2
31¾	102	12½ — 17	60 — 65	4 — 6 —	2 — 3
32	104	12½	60	—	3 — 4
32½	105	10⅓	55	—	2 — 3
33	106	3⅔	40	—	1 — 3
33⅓	107	3⅔	40	—	1 — 3
33⅔	108	1½	35	—	1 — 3
34	109	1½	35	—	3 — 4
34½	110	1½	35	—	3 — 4
34⅔	111	1½	35	—	3 — 4
35	112	1½	35	—	3 — 4

Fröhlich thermoscopium, calorem realem sub aestu febrili exploraturus, aut axillari regioni aut cavo oris admovet.

De pulsuum mutatione post perfrigraetionem Fröhlich sequentia notat:

In febre nervosa in adultis in minuto primo **120** ictus, in infantibus **130** numeravit, eandem arteriarum ictuum

frequentiam in *febre inflammatoria, ardente, biliosa, rheumatica* invenit. In febre *scarlatinosa* pulsus erant 150 — 160. Post singulas affusiones numerus pulsuum minuebatur, in *scarlatina* autem imminutio pulsuum non semper in *ratione imminutionis caloris* erat. In *typho* pulsus numerabantur 120 — 130 in adultis, post affusiones decrescere solent numero 10 — 15 — 20 ictuum; in infantibus pulsus nonnunquam 130 — 145 in minuto primo tangebantur.

In mania aliisque morbis chronicis pulsus rariores et duri tanguntur post perfrigerationem intra spatium duodecim aut quatordecim dierum molliores fiunt et paululum frequentiores.

Canones therapeutici, qui operam medentis in psychrolusiae tentamine dirigere debent:

Ex mente cel. *Currie* usus earum salubris est:

1. Sub reali et insigni caloris animalis augmento, thermoscopio metiendo.

2. Sub cutis ariditate pertinaci ac inperspirabilitate.

3. Si morbo contagium quoddam subest.

4. Si primis morbi diebus applicatur, et quidem in stadio primo aestus febrilis susceptum contagium subsecuti.

Usum psychrolusiarum vetant:

1. Stadium frigoris.

2. Aestus fugax cum horripilationibus alternans, sensilitas magna, coenaesthcseos augmentum morbosum,

magna frigoris impatientia et aversio, *febris videlicet nervosa versatilis Frankii.*

3. Inflammationes locales, praeprimis pulmonum, dysenteria. Rheumatismus et catarrhus minus respiciendi veniunt; etiam sub salivatione cura illa locum habere potest.

4. Character paralyticus *Reilii* jam evolutus.

In primis tribus diebus morbum in ovo suffocandi spes arridet, sed etiam in morbo magis jam protracto, symptomata dira hacce methodo curativa mitigantur, reconvalescentia acceleratur. Effectus psychrolosias subsequi sunt: *mitigatio aestus febrilis* per tempus quoddam, *cephalaea vehementissima* fugatur, *disparent deliria, pulsus imminuuntur, cutis sudore irroratur amoeno, somnus magica quasi vi* inducitur.

Psychrolusiarum rationem agendi dum explicare velimus, lotiones ab affusionibus distinguamus est necesse. Credebant medici nonnulli utriusque operationis efficaciam consistere tantum in detractione calorici. Sub primo aestu febrili vero affusio certe majorem utilitatem adfert, dum tali modo potenter in systema nervosum agere, eique aliam temperiem imprimere juvat.

Currie salubritatem affusionis sic explicat. Febris ipsi est status adynamicus, cujus vi spasmus in vasis capillaribus cutis producitur, quo sanguis magis ad organa cerebralia repellitur. Facta autem affusione frigida, stimulo hocce potente spasmus ille solvitur; detractione simul calorici nisus expansivus humorum, orgasmus sanguinis minuitur et aquilibrium inducitur.

Verosimilius in affusione concussio systematis nervosi potentissimum sistit agens. Stimulum illum sub-

sequitur major contratio in vasis copillaribus periphericis, sanguis ad vasorum majorum ora repellitur, exinde systema nervosum cerebrale aucto stimulo sanguineo ad majorem activitatem determinatur, circulatio sanguinis fit liberior, aequabilior, concentus harmonicus vasa inter et nervos sublatus restituitur, omnes functiones ad normam recedunt. Jam *Athilus* p) experimentis demonstravit, ex usu balnei modice frigidi a principio motum sanguinis circulatorium augeri, ob celeriorem regressum sanguinis ad organa centralia, quae ex inde magis exstimulantur; invenit enim pulsum a numero 70 ad 120 crescere; sub longiori vero mora circulum retardari observavit, dum sanguis ob spasmum cutaneum a centro ad peripheriam tendere arcetur.

Mitioribus in febribus regimen diaeteticum subfrigidum cum aliis remediis aptis jam sufficiunt. Psychrolusiarum usum autem expostulant:

a. *Febres continentes.*

α. *F. inflammatoriae.*

§. 8.

Dum temperatura corporis normalem cardinem multum excedit absque remissione ita, ut ex rapidiori calorici evolutione humorum dissolutio, cohaesionis fibrae irritabilis imminutio, nimia vasorum capillarium oppletio atque exinanitio vasorum majorum metuenda

---

p) *Athilus* observationes quasdam de usu aquae frigidae externo exhibens. Edinb. 1788.

sit, quod nonnunquam in *synocha* cum *pulsu pleno, aestu mordaci* obvenire solet. His sub circumstantiis externa applicatio aquae frigidae ad moderandum aestum febrilem eo magis indicata est, quo pertinacior cutis siccitas persistit, quo magis nisus expansivus excedit, quo luculentior cum statu sanguinis orgastico simul systematis nervosi cerebralis incitatio in propatulum venit, et synocha in synochum verti minitatur. In hocce casu lotiones frigidae faciei, extremitatum, pectoris una simul cum fomentis frigidis capiti admovendis, febricitanti optimum sistunt remedium perfrigerans et revere analepticum. Minus autem quadrant affusiones, quae simul *incitando* agunt.

Sed nunquam reliquus apparatus antiphlogisticus est negligendus; in synocha vera sanguinis missiones semper praemittendae, ut phlogoseos vehementia prius infringatur.

Puerum febre inflammatoria cum validissimo sanguinis versus caput nisu et tetano maxillae detentum, omnia medicamenta assumere respuentem, post praemissam hirudinum ad arteriam temporalem dextram et venam jugularem sinistram adplicationem fomentis frigidis spinae dorsi, pectori, abdomini, scroto applicatis restituit *Kohlhaas* q).

Fröhlich in omnibus febribus acutis, sive essent inflammatoriae aut alius indolis, dummodo systema arteriosum majori actuositate peccat, cutis sicca simulque cerebrum affectum apparet, psychrolusias utiles commendat.

---

q) l. c. VII. B. III. St. p. 215—219.

β. *Febres nervosae.*

Sunt casus febris nervosae, ubi remedia interna vel non sufficiunt, vel in usum trahi non possunt, ut hoc sub deglutitione difficili aut impedita, sub deliriis furibundis, magna medicamentorum aversione, sub nimia sensilitate organorum digestricium, imprimis ventriculi, sub nimio torpore, ubi medicamenta vix ingesta jamjam evomuntur, vel indigesta inefficacia manent. Quibus sub circumstantiis, si calor cutis simul est mordax, cutis imperspirabilis, sitis intollerabilis, magna agri inquietudo, jactitatio, dysphoria, deliria, sopor aliaque symptomata nervosam efficientiam supressam aut vividius incitatam denotantia adsunt, ad turbas in systemate nervoso saevientes compescendas, psychrolusiae multifario modo conducunt. Negativam sive idioëlectricam cutis conditionem invertunt, atque secessui imponderabilium opitulantur. A principio, quousque vires vitates realem jacturam non sunt perpessae, hisce solis adminiculis characterem nervosum vix orientem suffocare quandoque licet; sub vera autem debilitate, frigoris usus, saltem continuus forma lotionum frigidarum ac fomentationum damnandus est, quo stimulo negativo, quae adhuc restant vires, plane exhaurirentur, gliscensque adhuc vitae ellychnium in perpetuum deleretur.

Affusionis frigidae in febre nervosa stupida magna efficacia millenis medicorum versatissimorum experimentis est evicta. Omnes medici hujus methodi asseclae in eo consentiunt, quod mirum in modum in systema nervosum alterandum agant, caloricum morbose extricatum detrahant, spasmum cutaneum pertinacem solvant, somnum placidum inducant, ex qua aeger

recreatus evigilat. Sed cavendum, ne frigoris actio justo diutius induret, quo sanguis majori copia ad organa centralia repelleretur, nervorum efficientia vitalis in partes externas arceretur; aegerque insuper ad gravissima, quae a sanguinis ad organa nobiliora impetu majori et a sublato vitae sensiferae concentu oriuntur mala, praepararetur. Omnibus vero remediis affusio frigida palmam eripit, si febri nervosae *contagium* quoddam subest.

Contraindicatur affusionum usus in febre nervosa sub frigoris aut sudoris stadio, nec non sub inflammatione topica organorum penetralium.

In primo morbi cyclo maximam praebent utilitatem; serius in auxilium vocatae, dummodo conditiones adsunt, quae usum earum postulant, multum conferunt ad symptomata dira mitiganda et reconvalescentiam accelerandam. Affusio fit sequenti modo: aeger rigandus in solium vacuum collocatur, tunc major minorve quantitas aquae a capite corpori superinfunditur; vel aeger balneo calido utens aqua frigida in capite et nucha rigatur. Quo major aestus febrilis, eo frigidior aqua sit oportet. In casu morbi mitiori corpus aqua frigida aut aceto lavare sufficit. Perfrigeratione facta, aeger lecto committitur calefacto, tunc potum calidum ex remediis leniter stimulantibus, aromaticis, paratum hauriat. Perfusio aqua tepidula minori quidem, sed magna tamen gaudet efficacia. Effectum salubrem affusionum in febre nervosa duplici modo explicare licet. Agunt enim partim revellentium more, incitando systema nervosum, partim modo antagonistico, majorem reactionem in partibus externis provocando, ut exinde salubris fiat a syste-

mate nervoso centrali vividius incitato derivatio. Exinde elucet, encephalitidem aliaque symptomata morbosa cephalica, febri nervosae persaepe supervenientia, usum affusionum adeo non vetare, ut potius eas vehementer expostulent.

Franklin r) suadet aëris frigidi perflatum, praecipue in illo casu, dum aeger lectum deserere non valet.

Praestantiam hujus methodi in febri nervosa maligna confirmaturus, ad auctoritatem virorum expertissimorum, *Sarcone, Wright, M'Gregor, Jackson* s) provoco.

In febribus malignis, dum irritus videretur omnium remediorum effectus, pedes, abdomen et scrotum frigida aqua foveri jussit *Thedenius* t).

Horn u) balnea frigida in febre nervosa castrensi eximiis effert laudibus, si applicantur sub cute sicca ardente; tepidula vero commendat sub magna cutis contra frigus sensilitate. Sub capitis autem obrutione insigni, deliriis ferocibus aut sopore profundo, oculis fixis, splendore destitutis, sanguine suffusis, affusio-

---

r) Vide op. cit. *Currie* pag. 38.

s) Sammlung auserlesen. Abhandlung. für prakt. Aerzte. B. XII. S. 27. B. XVIII. S. 592.

t) *Thedens* neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarznei und Medizin. Berlin und Stettin 1771.

u) *Horn* über die Heilung des ansteckenden Nerven- und Lazarethfiebers.

Horn l. c. p. 69 seq. Archiv für medicinische Erfahrung. Heft II. J. 1812.

nem et balneum ducclae praefert. Rigationes secundum mentem cel. *Horn* tunc maxime indicantur, si contagium quoddam morbum progenuit. In apparatu suo perfrigeratorio tres observat gradus. *Primus ac infimus gradus* absolvitur lotionibus frigidis totius superficiei aqua simplici aut aceto remista omni hora, bihorio aut trihorio innovandis; *in secundo gradu* perfusiones ex alto admittit, dum aeger calido utitur balneo; in *tertio ac summo gradu* aeger in labro vacuo versans aqua frigidissima perfunditur. Calore cutis autem decrescente, cute jam mollescente magnaque adversus inspersiones frigidas sensilitate, perstante nihilominus capitis gravedine et temulentia, tunc aeger tantum in capite aqua frigidissima rigatur. Omnibus febre nervosa laborantibus caput, praeprimis regio frontalis diu noctuque frigidissima fovebatur aqua, illae plagae cutaneae, quae maxime ardebant, nullo habito petechiarum respectu, aqua frigida lavabantur; auctor hancce curam per quinque aut sex dies continuari jubet; praxis enim ipsum edocuit, fotum frigidum primis diebus absque notabili levamine in usum vocari, quo tamen continuato, saluberrimi effectus in aegrum organismum redundant. Plethoricis individuis sanguis prius detrahitur. Pro vario rerum statu vel localis fit sanguinis depletio, vel a principio subinde universalis in auxilium vocatur. Aër aegrum circumdans frigidus esse debet; hinc conclave non calefiebat, portae et fenestrae aperiebantur. Crisis die nona, undecima aut decima quarta paulatim intrabant, indurabantque per tres, quatuor aut quinque dies, saepius adhuc diutius. Curativum hocce remedium iis-

dem laudibus efferunt *Hegewisch* [v]), *Hecker* [w]), *Greiner* [x]), *Loebenstein Loebel* [y]).

Milius [z]) ex remediis excitantibus, in febri nervosa adhibitis, pessimos vidit eventus; plerique aegri in nosocomio castelli Petri hac methodo tractati peribant; qui vero frigidis inspergebantur, omnes reconvaluere.

Affusionibus frigidis in febri nervosa instituendis *Hildebrand* [a]) non subscribit. Plura exempla de magna balneorum frigidorum in cura febris nervosae praestantia adfert cel. *Froehlich* [b]). In febri nervosa lenta, seu in febri hectica usum frigoris externum laudat *Alexander Trallianus* [c]), licet insignis balneorum calidorum venerator fuisset. Eandem laudem hocce in morbo frigori tribuit *Aetius* [d]).

---

v) *Hegewisch*, in *Heckers* Annalen der ges. Medizin. B. 7. Heft 3.

w) *Heckers* Annalen der ges. Medizin. B. 1. Heft 1.

x) *Greiner* Abhandlung de febre nervosa epidemica contagiosa petechizante in allgem. med. Annal. 1814.

y) *Loebenstein Loebel*, über das Wesen und die Heilung des Nervenfiebers 1813, 1814, in den allgemeinen med. Annalen, April 1814.

z) *Huf. Journ.* Suppl. 1823, p. 10.

a) *J. F. Osianders* Nachrichten von Wien u. s. w. Tübingen 1816, p. 20.

b) *Huf. Journ.* Suppl. 1823, p. 25 und 27.

c) *Alex. Trallianus* p. L. 12. c. 4.

d) *Aetius* hect. febr. cur.

γ. *Feb. putridae.*

Frigoris in curandis morbis, putrido charactere notatis, salubritas a medicis omnis aevi observabatur. Prodest enim frigus duplici modo: *aestum mordacem minuit*, et *cohaesionem imminutam auget*. Caloricum morbose evolutum, decompositioni putridae et chemicae affinitati favens, detrahit, motum organicum justo rapidiorem imminuit, decompositionem et liquationem arcet. Hinc *Lettson* solo frigoris et chinae usu plurimos sanavit aegros febre putrida laborantes.

Cullen [e]) inguina et verendas partes frigidis fovere et aquam corpori inspergere, vel siphonis ope per anum injicere suadet. In maximo debilitatis gradu, qui cum imminutione caloris incedit, tepida et praecipue aromatica conveniunt balnea.

In meteorismo, febribus adynamicis, putridis superveniente, aliis remediis incassum tentatis, aqua gelida cum aceto aut glacies abdomini inflato cum fructu admoveri potest. Ad praecavendum decubitum medici practici suadent vasculum aqua frigida repletum lecto aegri suggerere.

Sargey [f]) plura narrat exempla, ubi, viribus ferejamjam exhaustis usu, frigoris salus iterum recuperata est.

Rust [g]) tympanitidem febri putridae subvenientem eodem remedio feliciter curavit.

---

e) *Cullen*, Anfangsgründe p. 200.

f) *Sargey*. Comerc. litt. Nov. anno 1736, p. 153.

g) *Combalusier* in seiner Pneumatologia.

Bouillet [h]) idem narrat de se ipso. *Sarcone*, *Tissot*, *Theden* magno cum emolumento frigore in febri putrida usi sunt [i]).

Wedekind [k]) in *synocho*, vergente in characterem putridum, externam frigoris applicationem qua remedium prophylacticum commendat.

b. Febres remittentes.

δ. F. gastricae.

In febri venosa, synocho, metopiorum frigidorum usus, symptomatica affectione organorum cerebralium subinde superveniente, praesentibus congestionibus venosis, pernecessarius est. Frigido fotu vehemens sanguinis ad cerebrum appulsus arcetur, sanguis magis ad inferiora repellitur, detractione simul calorici morbose extricati expansioni humorum resistitur, et vasorum cerebralium dilaceratio praepeditur.

Froehlich [l]) in febre biliosa affusiones frigidas lotionibus praefert, ne frigoris continua actione calor, qui in synocho minus constans esse solet, justo magis imminuatur.

---

h) *Clemens* de medicine pratique.

i) *Weiz* neue Auszüge aus Dissert. 13 B. p. 66.

k) *Dr. Georg, Freiherr v. Wedekind.* Einige Blicke in die Lehre von Entzündungen und von den Fiebern überhaupt, wie in die von Gehirnentzündung und von ansteckenden Faulfiebern insbesondere. p. 42.

l) *Hufel.* Journal Suppl. 1823, p. 39.

Pitschaft m) in synocho varia sub forma, febre gastrica, biliosa, pituitosa lotiones et affusiones frigidas non sine fructu adhiberi memorat.

c. *Feb. intermittentes.*

Balneorum frigidorum in febri intermittente usus duplex esse potest. Vel enim in scopum alterantem, confundentem paulo ante paroxysmum febris intermittentis anomalae, ominosae in auxilium vocantur, vel ob virtutem illarum antiphlogisticam sub stadio aestus, si normam intensitate aut duratione excedat, sub cutis nimia siccitate, ardore mordaci, adhibentur, ut factoris expansivi actio incitata imminuatur. Quadrant huncce in scopum medicum balnea universalia, nec non topica sub forma affusionum embrocationumque. Libenter tamen acce ancipite medendi ratione abstinemus, quae, cautelis neglectis, letales producere potest effectus, eo magis, quum palliativum tantum sistat remedium, et ad curam radicalem raro aliquid conferat. Sunt tamen medici, qui ex hocce remedio curativo bonos experti sint effectus.

Jam *Celsus* n) in curatione febris tertianae frigoris virtutes laudat. Miro exemplo febris quartana pertinacissima fugata fuisse legitur, dum aeger in stadio caloris febrilis constitutus, balneum frigidum ingrederetur o). Referente *Currie*, affusio frigida,

---

m) In eodem Journ. p. 169.

n) *Celsus* Lib. X. C. 14.

o) Journ. de medicine et Chirurg. etc. in der Entdeckung der neuesten Zeit. 1. B. p. 260.

hora ante paroxysmum febris intermittentis exhibita insultum instantem subinde praecavet. Ad febrem ipsam plenarie jugulandam pluribus affusionibus opus esse, confirmat auctor. In stadio frigoris usum remedii hujus heroici apprime dissuadet. Narrat casum, in quo affusio sub stadio frigoris admissa male successit. Aeger quidam hocce sub stadio perfusus in magnum vitae periculum praecipitabatur; valido percussus est horrore, omnes artus rigere coeperunt, tota superficies corporis pallore suffundebatur. Exspiranti similem frictionibus toto in corpore institutis, fotu calido regioni gastricae superimposito, nec non cardiacis propinatis resuscitandi, non facile fuit negotium p). Acerrimus balneorum frigidorum in febre intermittente propugnator *Gianini* q) eminet.

B. *Inflammationes.*

In phlogosibus sic dictis traumaticis externa frigoris sub forma frigidorum fomentorum applicatio ab omnibus fere chirurgis qua remedium praxi comprobatum laudatur, ita, ut fere commune remedium adversus laesiones traumaticas dicendum sit. Minorem vero gloriam hocce remedium in cura inflammationis mere dynamicae sibi conciliavit, plerosque hucdum medicos psychrophobia tenet, inprimis, dum organa penetralia pathologico hocce processu occupantur. Observationes vero aliorum medicorum expertissimorum confirmant, frigus etiam in inflammationi-

p) in *Currie* op. cit. part. I. p. 35. seq.
q) l. c.

bus dynamicis, opportuno tempore in auxilium vocatum, reliquum apparatum antiphlogisticum adjuvare, nullaque incommoda parare. Et revera divinum remedium frigoris externa applicatio est habendum, si in inflammationibus non *criticis*, nec *metastaticis* consilium est, caloricum morbose evolutum atque justo majori copia coacervatum detrahendi, enormem activitatem vasorum deprimendi, conflictum justo vividiorem vasa inter et humores circulantes excitatum refrenandi, vegetationem ac metamorphosin organicam rapidiorem subigendi, novam vasorum sanguiferorum formationem praepediendi, appulsum humorum ad peripheriam arcendi, refluxum promovendi. In illis igitur phlogosium speciebus, ubi in animo medici est, resolutioni inflammationis opitulandi, aliumque exitum praecavendi, externa frigoris applicatione certe nullum remedium est efficacius, dummodo respectu in - et extensitatis, formae et durationis, conditionibus pathologicis accommodetur frigoris actio. Sed phlogosis prius detractione sanguinis est frangenda. In vera inflammatione arteriosa frigus jam eo deleterium evadere potest, quod coagulum fomitis plastici promovet, et spasmum sic dictum inflammatorium in vasis capillaribus auget, stasibus resolvendis obstat, recentibus favet. Utilior usus frigoris, erit in principio, ubi inflammatio adhuc intra limites congestionis simplicis consistit. Hocce in casu frigida phlogosin imminentem non raro praepediunt. Frigus convenit in specie, ubi simul scopus est humores repercutiendi, effusionem passivam aut supurationem impediendi e. g. in inflammatione cerebri, oculorum, in carditide in hernia incarcerata etc. Sunt inflammationes, in quibus frigus certo stadio et sub certis circumstantiis

applicatum prodest, aliaeque formae iterum et stadia, ubi damnosum esset, metaschematismum, indurationes aliaque posthuma infausta inducendo. In phrenitide, hydrocephalo acuto nemo medicorum frigus timebit. In uno stadio utilis, in altero nociva esse potest frigoris applicatio externa, v. c. in contusionibus recentibus, in vulneribus, in primo stadio orchitidis prodest, fracta vero phlogosi certe nocet. In inflammationibus illorum organorum, in quibus sensibilitas ob majorem nervorum abundantiam, qua ex structura organica gaudent, nimium in modum erecta est, quae ex processu phlogistico magis adhuc exaltatur, quo mediate aut immediate vel functio organi cujusdam nobilis aut vita ipsa in discrimen vocaretur, frigus cum emolumento in subsidium ducitur. Utilitas frigoris luculentissime emerget, si sub nimia intensitate aut anomalo statu phlogoseos, nervositatem maxime petentis, uti hoc in encephalitide, in inflammatione substantiae cerebri nervorumque locum habet, adhibetur. His sub circumstantiis *frigus, parti affectae quam proxime admotum*, apparatum reliquum antisthenicum eximie adjuvat. In *inflammationibus nervosis* subinde *unicum* et *princeps* remedium sistit frigus, quod, omnibus remediis incassum tentatis, adhuc vitam in summo discrimine versantem servare valet. Quadrant hic fomentationes frigidae ex aqua aut glacie conflatae, nec non affusiones frigidae. Jam humectatio per se inflammationis vim potenter enervat, qua efficitur, ut calor melius conduci possit; *magna* enim organi inflammati *siccitas* est quoque in causa, quod caloricum minus avide ab athmosphaera absorbetur, hinc phlogistica principia structurae et vitae organi periculum

struentia coacervantur. Siccas superficies pro conductione calorici minus aptas esse, jam physica docet; eo utilius igitur remedium huncce in scopum sese praestabit, quod et *humectat* et *perfrigerat*. His sub circumstantiis externus frigoris usus commendandus est: in *encephalitide*, *hydrocephalo acuto*, *notaeomyelitide*, *neuritide*, *angioitide*, *ophtalmitide*, *dakryoadenitide* aliarumque glandularum inflammatione mox a morbi principio, *ulitide*, *glossitide* etc. In inflammatione organorum pectoralium, praecipue in pneumonitide, frigoris externa applicatio adhucdum a plerisque medicis timetur, ne ob antagonismum, qui ex lege naturae cutim externam inter et internam obvenit, crises per sudores exspectandae turbentur. Sed sub nimia phlogoseos vehementia, apparatui antiphlogistico rigorosiori prius in usum ducto pertinaciter resistenti, gangraena succedere minitante, cum emolumento etiam frigus in usum vocatur, quod imprimis in pneumonitide traumatica tantum utilitatis praebet.

Carditis usum frigoris externi *vehementer* expostulat. In inflammationibus organorum abdominalium frigus vel ex nimia intensitate phlogoseos vel ex causa traumatica praegressa indicari potest.

In *encephalitide* fomenta frigida capiti superhabenda ab antiquissimis temporibus ad hodiernam usque diem comprobatum laudatumque sistunt remedium. Benefica eorum actio concipienda est, tum ex detracto calorico, quod per exorbitantem in vasis capillaribus cerebri et meningum incitationem justo magis evolvitur, continuam foveus cerebralis efficientiae irritationem, tum ex imminuta vasorum turgidorum

capacitate, atque infracta per frigoris influxum factoris vitalis expansivi potentia.

Jam *Hippocrates* [r]) ait: »Et post sanguinis missionem raso capite perfrigerantia ipsi adhibeto.«

Sic *Celsus* [s]) refert: »Tondere oportet caput ad cutem; si calor capitis dolores excitarit, aqua frigida multa perfundere expedit.«

Idem [t]) effatur: »Capiti nil aeque prodest, quam aqua frigida. Itaque is, cui hoc infirmum est per aestatem, id bene largo canali quotidie aliquando subjicere debet.« In laesionibus et vulneribus capitis validisque cerebri concussionibus praestantissimum et efficacissimum remedium aquam frigidam cognovit.

Schmucker [u]), ut vero aqua, aucto frigoris gradu, majori virtute polleret, conficiebat mixturam ex aquae frigidae mensuris viginti, aceti mensuris duabus, nitri unciis sexdecim et octo salis ammoniaci unciis constantem, quae fomenti frigidi nomine servabatur, et detonso prius capite in dictis casibus fomenti frigidi omni hora renovandi forma in usum vocabatur, non neglectis interim pro re nata venaesectionibus et reliquo apparatu antiphlogistico. *Richter* etiam in programmate quodam Göttingae 1756 ait: frigus capiti, fotum caloremque pedibus convenire.

Allion [v]) aegrotos suos *phrenesia* laborantes

---

r) *Hipp.* Lib. II. morb. (edit. *A. Foesii* Genev. 1657 p. 484. N. 50.)

s) *Cels.* Lib. IV. c. 2.

t) *Idem* Lib. I. c. 4.

u) Chirurgische Wahrnehmungen. 1. Theil. p. 145 seq.

v) *Daniels* Beiträge zur medizinischen Gelehrsamkeit. Halle 1749. 1. Bd. p. 45.

semicupio calido uti, ac dein capiti fomenta glacialia imponere jussit.

In *mania febrili* ex consilio *Vogel* [w]) utile est, aegrum in balneum calidum ad scrobiculum cordis usque demittere, dein frigida aqua saepe lavare caput.

Laudat quoque externam frigoris applicationem in *encephalitide Danther* [x]).

Virtuti eximiae frigoris in cura *encephalitidis* primo in stadio, nec non a principio secundi subscribit *Formey* [y]), qui affusiones frigidas capiti abrasis prius capillis admittendas eximie laudat, quas omni hora aut bihorio ex modica altitudine *tenui radio* ad frontem et verticem directo per plures dies noctesque continuare suadet. Quae methodus curativa etiam in altero stadio, *exsudativo* videlicet, cum fructu adhiberi potest.

Laudantur quoque fomenta frigida in *encephalitide puerperali*, ubi affusionibus praeferenda sunt, si irritatio cerebri *mere synochalis* esset. Contra, ubi *sensibilitas* magis in processum phlogisticum abrepta apparet, aut si *contagium* incitationi subest, affusionibus major vis medicata adscribi debet. Efficacia fomentorum augeri potest, si, capillis abrasis, omni bihorio uncia dimidia *naphtae aceticae* capiti superinfundatur. Subinde hancce operationem deliria furibundiora subsequuntur, sed brevi omnia symptomata mitigantur [z]).

---

w) *Vogel* Praelect. academ. de cognoscend. morb. p. 662.

x) l. c.

y) Vermischte medizinische Schriften. 1. Bd. S. 201.

z) *Hufeland's* Journal 54 p. 98 — 99.

Speyer [a]) cum cel. *Vogel* et *Formey* eandem fovit opinionem, fomenta frigida in encephalitide per longum tempus diu noctuque esse applicanda, donec symptomata periculosa: *aestus molestus*, *capitis gravedo*, *dolor*, *pulsatio*, *deliria*, *sopor* profligata fuerint, subinde ad vigesimam usque morbi diem tractamen illud frigidum continuari debet, vigesima enim prima crises intrare solent. Donec igitur crises non in propatulum venerint, nullaque symptomatum remissio animadverititur, a frigidis non recedendum esse suadet.

Speyer praestantiam fomentorum frigidorum capiti admotorum etiam in maligna epidemia scarlatinosa anno 1818. Bambergam invadenti, nec non in morbillis anno 1824. capitis affectione stipatis plurimis in casibus lauream prae aliis meruisse remediis expertus est. Recentissimo tempore salubritatem fomentorum frigidorum in hydrocephalo acuto multis exemplis ex sua ipsius praxi demonstrat medicus *Silbergundi*; [b]) ex hocce remedio a morbi *principio* in usum ducto praestantissimos vidit effectus. Vegetationem abnormem ac exinde incitatam activitatem organicam frigus optime deprimit, si capillis remotis cuti proxime admovetur. Protracto vero jamjam morbo frigoris usus minus efficax ipsi est remedium, tunc *topicae depletiones* sanguineae, maniluvia et pediluvia calida praeferenda. Interne nitri et calomelis usum laudat.

---

a) In eodem Journ. Suppl. H. 69. B. Jahrgang 1829. p. 19 et seq.

b) Journal der pract. Heilkunde von *Hufeland* und *Osann*. 69. B. 14. St. 1829. p. 65.

Sed jam multos ante annos medici in hoc maligno et ominoso morbo frigore externo cum fructu utebantur. Consulendi sunt *Wilmer* c), *Baader* d), *Fleischer* e), *Conradi* et *Portenschlag* f). Eandem quoque therapiam multis experientiis comprobatam commendat *Goelis* g).

Reuss fomenta frigida ut in encephalitide *simplici, ita* in *hydrocephalo acuto* comprobatum censet remedium. Momenta pro usu frigoris in hocce morbo sunt: *calor capitis* eum in gradum *auctus*, ut manum tangentem lapidis calefacti adinstar offendat. (*Huf.* Journ. Suppl. 1823 p. 77.) *Pitschaft* fomentorum frigidorum usum in febre hydrocephalica nervosa sive cerebrali in connubio cum rubefacientibus eximie laudat (*Huf.* Jour. Suppl. 1823. p. 175). Qua remedium prophylacticum contra *hydrencephalum infantum* in illud malum dispositorum affusiones frigidas saepiuscule institutas utiles invenit *Sachse* h).

In *phrenitide excitativa*, in illam cum *stupore* (secund *Sachs*) terminata, praeter depletiones san-

---

c) *Wilmers* cases and remarks in Surgery. London 1799.

d) *Baader* Geschichte der Wassersucht der Hirnhöhlen. 1794.

e) *Fleischer* Geschichte der Kinderkrankheiten. 3. Th. 1807.

f) *Hufeland* Journ. 7. Bd. 2tes Heft. Seite 14.

g) *L. Goelis* praktische Abhandlung über die vorzüglichen Krankheiten des kindlichen Alters. 1. Band. Wien 1815.

h) *Huf.* Journ. 60 B. 5 St. p. 75.

guineas affusiones frigidae a ccl. *Sachs* i) laudantur, quia nullum aliud remedium tam citam ac universalem reactioram systematis nervosi provocat, quam aqua frigida, hacce sub forma applicata. Idem remedium commendat quoque in *secundo stadio phrenitidis excitativae, paralytico* nempe. In *delirio tremente* ex affusionibus multum levaminis viderunt *Ramsay*, *Armstrong*, *Albers* et recentissimo tempore *Barkhausen* k).

In *notaeomyelitide*, monente *Sachs*, nullum praestantius datur remedium, quam affusiones frigidae, dum morbus jam ad secundum vergit stadium, in quo ex sententia auctoris febri nervosae non absimilis est. Hocce in stadio inspersiones frigidas nychthemeri spatio bis terve repetere suadet.

Similem laudem affusionibus frigidis tribuit *Sachs* in aliis *inflammationibus nervosis*, quas *inflammationes sensibiles* vocat. Hinc in inflammatione *nervi vagi* et *ischiadici*, uti in omnibus inflammationum formis, ubi aut primario aut secundario modo in detrimentum systematis cerebralis conflictus morbosus illud inter ac systema gangliare locum habet, *balnea frigida*, *aspersiones frigidas*, *immersiones* in aquas frigidas, *balnea marina* magnis effert laudibus, quo tractamine aequipondium sublatum optime restitui affirmat. Semper autem sanguinis evacuationes praemittendas esse monet. Non mi-

---

i) *Barkhausen* Beobachtungen über den Säuferwahnsinn.

k) Handbuch des natürlichen Systems der prakt. Mediz. von *Ludwig Wilhelm Sachs*. Berlin 1828. 1 Th. II. Abtheilung p. 242 — 243.

norem virtutem medicam remediis illis tribuit in cura (ex mente auctoris) *inflammationis sensibilis*, *universalis*, *tetani* adultorum, nec non *trismi* neonatorum, simul opio interne propinato junctis.

Narrat casum, in quo octodecim horarum spatio infans trium dierum nonies perfundebatur, et simul 32 guttas opii hausit; perfusionibus autem institutis, cum jam omnis perdita esset spes, parvulus miro modo conservatus est. Idem laudat quoque affusiones frigidas in *hydrophobia* in connubio cum depletione sanguinea, quam in regione colli, cordis et ventriculi institui jubet.

In inflammatione gangliorum praeter sanguinis evacutationes affusionem frigidam, subito instituendam ac iterandam, usque conscientia revertitur, suadet [l]).

In *tetano* jam *Hippocrates* [m]) affusiones frigidas laudat.

In *hydrophobia* unicum remedium esse, aegrum nec opinantem in piscinas demittere, et hac ratione sitim et aquae metum tolli, monuit *Celsus* [n]).

A subito illo horrore ex concussione totius corporis, quae percipitur ab immersione in aquam frigidam, magnam in hoc morbo mutationem sperat *Van Swieten* [o]).

– *Rush* recentissimo tempore primus erat, qui affusiones frigidas et submersiones in cura tetani lau-

---

l) *Sachs* op. cit.

m) *Hipp.* Aphorism. Sect. V. 21. 22. σπασματα. Bd. 22. S. 614 u. ff. S. 345. ff.

n) *Cels.* de med. L. 5. c. XXVII. n. 11. p. 308.

o) Comment. tom. III. p. 576. ad §. 1144.

dabat, quo remedio duos equos, quibus hicce morbus semper letalis est, servatos esse narrat. Consentiunt *Dalrymple* et *Currie.* p)

In *ophthalmitide, glossitide, parotitide* aliisque inflammationibus topicis externus aquae frigidae usus commendatur a cel. *Reuss* q).

Dzondi r) in combustione faucium aquam frigidam multam haurire, ac spongiam ex aqua frigida expressam pectori admovere praecipit.

Sarcone s), nec non *Hahn* t) aqua frigida externe usi sunt, et in *peripneumonia* se multum levaminis exinde aegro adtulisse narrant.

Sed etiam in *gastritide, hepatitide* et *enteritide,* sanguinis evacuationibus praegressis, externus aquae frigidae usus utilis fuisse legitur u).

Hahn v) narrat casum, in quo fomenta glacialia regioni lienali superimposita in tumore inflammatorio lienis multum profuerunt.

Reuss w) casum *enteritidis* narrat sat rebellem, continuo vomitu omnium ingestorum stipatae, qui morbus, etsi summum emensus est culmen, fomentis

---

p) Sämmtliche auserlesene Abhandl. z. G. f. p. Aerzte.

q) *Huf.* Journ. Suppl. 1823. pag. 77.

r) *Dzondi.* Uiber Verbrennung und die einzigen sichern Mittel, sie in jedem Grade schnell und sicher zu heilen. Halle, 1816.

s) In seiner Geschichte der Krankheit von Neapel. 1777. S. 208. 224.

t) *Hahn* op. cit.

u) Sammlung zum Gebrauch für praktische Aerzte.

v) p cit. p. 85.

w) *Hufel.* Journ. Suppl. 1822. p. 77.

glacialibus abdomini admotis, victas tamen dedit manus. Recidivante iterum morbo, calido balneo prius in usum vocato, affusione dein frigida in abdomine instituta, omnis curationis pagina absolvebatur.

Sed etiam in specificis illis phlogosibus, *catarrhalibus* ac *rheumaticis*, perfrigeratio externa, quam jamjam *Coelius Aurelianus* et *Celsus* in illis utilem laudavere, nunc recentissimo tempore iterum commendatur.

Reuss x) in pneumonitide catarrhosa caput, faciem, pectus et manus aqua frigida lavare praecipit; illis enim, qui gravi coryza laborant, ex aqua frigida per nares attracta citiorem convalescentiam praesagit, quam illis, qui calidis foventur.

Kohlhaas y) casum narrat febris rheumatico-catarrhalis summa virium prostratione, pulsu admodum exili, delirio et facie aegri hippocratica stipatae, in quo ex frigidis fomentationibus pectori, spinae dorsi, abdomini et scroto admotis, insigne morbi levamen vidit.

Quum febres, catarrhosa inflammatione stipatae, ob suppressam functionem cutaneam, illas phlogoses semper fere concomitantem in nervosum characterem abeundi tantam prolivitatem manifestent, conductio illa dynamica infracta magnum meretur respectum. Cui scopo praeter vesicantia lotiones frigidae vel egelidae eximie respondent, si simul cum aliis remediis morbo concinnis in usum trahantur.

Jam de Moneta Warsoviae anno 1777. tractatum edidit, in quo in cura febrium catarrhalium frigus qua princeps laudat remedium.

---

x) *Hufel.* Journ. duppl. 1823. p. 90.

y) l. c. II. Bd. IV. St. p. 561.

Legimus in *Celso*: »Neque solum iis, quos capitis imbecillitas torquet, usus aquae frigidae prodest, sed iis etiam, quos assiduae lippitudines, gravedines, destillationes, tonsillae male habent, his non tantum caput, sed etiam os multa aqua frigida perfundendum« z).

In *ophthalmia* incipiente praestantiam virtutis medicatae aquae frigidae Morgagni in se ipso expertus est a).

In *ophthalmia neonatorum* magnam laudem sibi promeruerunt fomenta glacialia mox a principio, in primo videlicet stadio inflammatorio, in auxilium vocata b).

Emolumentum usus externi aquae frigidae, sub forma fomentorum applicatae in *ophthalmia neonatorum*, dummodo in primo morbi stadio, dum inflammatio blephara magis occupat, in usum trahitur, ex quotidiana praxi in lechodochio nostro Pragensi comprobatur, quo remedio morbus nonnumquam in ovo suffocatur.

In *tracheitide* exsudatoria (häutige Bräune), in qua fotus calidus a praxi medicorum omnis aevi commendabatur, fomenta frigida et affusiones frigidas medicorum recentiorum nonnulli utiles celebrant.

Harder c) primus hocce cum remedio in suo ipso infante periculum fecit.

Erat jam quarta morbi dies, vires prostratae jacebant, pulsus erat minimus, oculi in orbitam relapsi,

---

z) *Cels.* c. 4. 5. lib. I.

a) *Mellin.* mat. med. p. 273.

b) *Rust's* Magazin. XXX. Bd. 2. Heft.

c) *Hufel.* Journ. 60. Bd. 5. St. p. 93.

facies hippocratica. Pater, sub tam tristi rerum statu omni spe destitutus, affussionem frigidam qua ultimum remedium tentavit. Instituebatur igitur affusio, eaque prima vice magna cum euphoria aegri. Decies morbus tunc exacerbabatur; nihilomninus pater, primo curationem hancce subsecuto levamine ductus, remedium istud post singulas exacerbationes repetendum curavit, qua audaci et constanti therapia pusillum tandem sanitati redonavit.

Professor *Alberle* d) casum narrat, in quo morbus quarta die jam summum emensus est culmen, qui vero quatuor tentatis affusionibus victas dedit manus. Similem effectum mirabilem ex fomentationibus frigidis, in eodem morbo institutis, expertus est *Hellerung* Wismariae.

In auxilium pueri, maligno illo morbo excruciati, vocatus, apparatum antiphlogisticum in subsidium vocabat, quam methodum curativam multum subsecutum fuit levamen. Refrigerio autem incaute admisso, morbus multo dirioribus sese manifestabat symptomatibus. Methodus antiphlogistica nullum nunc tulit levamen. Aeger in articulo mortis jam versabatur. De salute parvuli desperans medicus ille fomentorum frigidorum suppetias imploravit, quae, quum ex illis multum morbi atrocissimi leniminis videret, per biduum continuari jussit. Septima morbi die spiritus difficilis, dolores, qui simul aderant pleuritici, febrisque ipsa profligabantur. Ejiciebatur tunc muci puriformis, sanguine remisti magna copia, quae operatio critica per tredecim dies indurabat. Remotis fomentationi-

---

d) *Hufel.* Journ. 60. Bd. 5. St. p. 94.

bus frigidis cum usu Senegae et spiritu salis ammoniaci cura claudebatur [e]).

Auctoritate horum virorum celeberrimorum invitatus *Sachse* [f]) remedium illud hocce in morbo commendat. Nominat quoque medicum *Muhrbeck*, qui anginam tonsillarem fomentis glacialibus curare consuescit, quem celeb. *Sachse* in praxi sua feliciter sequutus est.

Magna laus hocce in malo fomentis frigidis tribuitur quoque a *Loewenhardo* [g]). Numquam tamen sangiunis evacuationes negligendae sunt, ut in primo, ita etiam ineunte stadio secundo, *exsudativo*.

Similis casus, lectu dignissimus, narratur a cel. *Bischoff*, qui in infante quinque annorum, hocce morbo correpto, optimo cum successu affusiones instituit frigidas. [h]).

Lectu quoque digna est historia pueruli unius anni et quatuor mensium, qui per duos menses tussi convulsiva laborans, dein *angina membranacea* infestatus, externa frigoris applicatione sanitatem recuperavit.

In morbi casu, ubi inflammatio citra limites est aucta, arridet methodus haecce curativa cel. *Wendt* [i]). Agitur nunc de tempore, seu de morbi stadio, in quo frigoris usus qua proficuus commendari potest.

---

e) *Hufel.* Journ. 60. Bd. 5. St. p. 95.

f) *Hufel.* Journ. 60. Bd. 5. St. p. 93.

g) In *D. A. Elias Siebold* Journ. für Geburtsh., Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten v. Ed. *Caspar Jac. v. Siebold* IX. B. 25. St. pag. 198 — 378.

h) *Kleinert* Repert. 4. Jahrg. 3 Heft. 1830. S. 201 — 209.

i) *Wendts* Kinderkrankheiten syst. dargestellt p. 142.

Alberle affusiones frigidas ultimo in stadio, letali, instituti vult. *Harder* felicibus in praxi sua experimentis ductus, illas etiam in stadio primo admittit.

Sachs[k]) remedium illud tantum in casu desperatissimo adhiberi vult. Sed jam *Hippocrates*[l]) ait: »*Ad extremos morbos extrema remedia exquisite optima.*«

Ad pretium methodi hujus curativae in morbo adeo atroci dijudicandum pluribus adhuc opus est experimentis. Nunquam vero alia comprobata medicina negligenda. In stadio *exsudativo* prosunt affusiones frigidae virtute sua revellente, nec non tonica, qua vasorum et fibrae irritabilis tonus deperditus restituitur, ut in contentam lympham plasticam exsudatam eliminandam fortius agant. Aquae frigidae usum externum *Hahn*[m]) etiam in dysenteria laudat.

J. H. Bretfeld[n]) in eodem quoque morbo ex externo usu aquae frigidae, abdomini applicatae, bonos vidit effectus. *Reuss* lotiones frigidas et perfrigerationem adversus *dysenteriam* commendat. Quo insignior ardor internus, eo salubrior manuum et brachiorum lotio frigida. In *inflammatione rheumatica*, nec non *arthritica* frigoris applicatio propter morbi indolem fugacem, proteiformem, anceps sistit remedium.

Sunt tamen medici, qui et in hacce inflammationis specie frigoris usum non respuant.

---

k) l. c. 1. Theil 2. Abtheilung S. 380.

l) *Hippocrat.* Aphorism. 6. Sect. I.

m) op. cit. p. 87.

n) Aufsätze über verschiedene Gegenstände der Arzneilehre.

Suter o) *acutum rheumatismum* frigidis fomentationibus feliciter tractat.

Nuperrime lotiones frigidas in *rheumatismo acuto* sub cute nimis sicca, aestu mordaci comendarunt *Froehlich* et *Reuss.* p).

Sed jam *Hippocrates* q) frigori virtutem sopientem, dolores rheumaticos et podagricos lenientem tribuit.

Frieder. Hoffmannus r) ait: »Multos scio curatos arthriticos solo aquae frigidae purissimae frequentiori potu«. Ecquidem in *rheumatismo acuto, fixo, recenter orto, nulla interna labe profundius latente, cachexia* videlicet *fota*, a frigore *continuo* non tantum forsan est metuendum. Etiam sub fotu calidissimo nonnumquam metaschematismum infelicem fieri videmus. Quo magis aeger calidis fovetur, eo sensibilior contra frigoris injuriam evadit, eo facilius refrigerium, subito admissum, inflammationis rheumaticae ad partes internas regressum producere valet. In rheumatismo levi frigoris usus certe minus convenit; sed sub *intensa phlogosi* reliquo apparatui antiphlogistico forsan et frigoris usus jungi potest. Interim remedium illud hocce in morbo anceps declaramus, usquedum uberiori experimentorum fonte pretium illius evictum habebimus. Melius remedium hoc quadraret in *rheumatismo chronico*, seu potius sub habituali disposi-

---

o) The medical and physical Journal conducted by *S. Fothergill* and 3. Vant. Val. 31. 32. anno 1814.

p) *Huf.* Journ. Suppl. 1822. p. 40. 80.

q) *Hipp.* Aphorism. 21. — 23.

r) *Fried. Hoffmanns.* Cent. III.

tione ad turbas rheumaticas, quo sensilitas nervorum periphericorum paulatim obtundi cutique robur deficiens resuscitari potest.

Hinc in *inveterato rheumatismo*, alii methodo curandi pertinaciter resistenti, balnea frigida commendant *Hombergius* et *Van Swieten* [s]). Immergi jubent rheumaticos balneo frigido, ita, ut septimanae spatio bis terve balneum frigidum ingrediantur, et post singula balnea aegro in lecto collocato dosin justam spiritus cornu cervi propinare suadent, ut sudoris eruptio facilitetur. Quod de rheumatismo valet, valet quoque de inflammatione *erysipelatosa*. In erysipelate *substantivo non critico, non metastatico*, neque *symptomatico, magna sub inflammationis intensitate, cute sicca, ardente, topica* frigoris applicatione malignae succesioni, exulcerationi quippe aut gangraenae, obex poni potest. Minus quadrat frigus sub inflammatione gradus levioris, in qua per admissum frigus infausta ad organa penetralia nobiliora regressio ab ipsius applicatione topica justo deterret; moderato enim inflammationis vigore ad crises perficiendas opus est; hinc levis inflammatio erysipelatosa frigidis non est tractanda; sub intensiore autem inflammatione reliquo apparatui antiphlogistico et frigoris externus usus jungi forsan potest, donec phlogoseos vehementia fracta fuerit, quo sub stadio a frigoris saltem in eo gradu applicatione recedendum erit. Ut vero frigoris usus externus in erysipelate maligno salubris evadat, necesse est, *ut continua illius actio*

s) In *Swieten* Comment. tom. V. p. 670.

in subsidium vocetur; *subitanea* frigoris applicatio certe domnosa esset.

Jam medicus antiquus *Hahn* [t]) ex usu aquae frigidissimo externo bonos vidit in erysipelate faciei et pedum effectus. Sed remedium illud diutius absque intermissione applicari jubet.

Cel. *Reuss* [u]) casum litteris mandavit, in quo frigus mirabiles praestitit effectus. Ulcere quodam in dextro pede sanato, brevi erysipelas apparuit, quod paulo post totum crus ad lumbos usque occupavit, dein ad nates, dorsum, pectus mentumque ascendebat, imo nec sinistro parcebat lateri; ibi etiam brachium extremitatesque prehendens. Aderant jam loca gangraenosa, febris vehemens, deliria, vitae periculum magnum. Sueta therapia eludebatur a morbi vehementia. Externa autem frigoris applicatio multum attulit levaminis. Quoties ab hocce tractamine frigido recedebatur, toties morbus in pejus ruebat. Continuata hacce therapia imminuebatur aestus intollerabilis inflammatorius, et reliqua symptomata evanescebant.

Sic quoque anno **1818.** maligno erysipelate, pluribus in Germaniae locis grassante, externus frigoris usus saluberrimum sepraestitit. *Reuss* semet ipsum, sub epidemia illa erysipelate faciei tentatum, eadem medicina curavit [v])

Humectationem, si in cura erysipelatis, rheumatismi arthritidisque vitare consilium est, consulente

---

t) l. c. p. 70.

u) *Huf.* Journ. 1823. Suppl. p. 83.

v) *Huf.* Journ. 58 B. 3 St. p. 71 — 74.

Rittero glaciem in vesica reclusam adhibere juvat. Hic applicationis modus pluribus virtutibus pollet.

1. Major frigoris gradus ac diutius in usum trahi potest.

2. Actio frigoris magis ad partes quasdam limitatur.

3. Addi possunt et alia chemico modo agentia v. c. acetum, sal ammoniacus etc., quin exinde aliae partes organicae offendantur.

C. *Exanthemata febrilia contagiosa.*

§. 10.

In exanthematibus contagiosis, febrilibus, frigoris externus usus latissime extenditur. Frigus enim contagioni optime resistere processumque fermentationis ac vegetationis, in cute contagio quodam incitatae, in malignitate sua, qua organisationem destruere tendit, mirum in modum moderare, numerosissimis evictum habemus exemplis. Quare *Hufeland* w) frigus antidotum contagii animalis declarat. Hinc et pro remedio prophylactico et therapeutico contra morbos contagio fotos declarari potest.

Calidorum in efflorescentiis cutaneis, febre stipatis, nimius abusus potentissima certe causa fuit multarum hocce malo datarum stragium.

---

w) *Ibidem* Journ. 47 B. 6 St. p. 19.

Quid mirum? Aegri interna ardentes flamma, lodicibus gravibus plumeis tecti, ab omni aëris puri frigidioris aditu excludebantur; porta et fenestris clausis, cubile calefiebat, impurusque aër per totum morbi decursum nunquam corrigebatur. Crisibus promovendis insuper potulenta calida, diaphoresin promoventia, exhibebantur, ut aegri sudore diffluerent. Perversa tali medendi ratione, praejudicio dictata, aegri miserandi, quorum cutis febrili exanthemate obsita erat, ne refrigerium, crisium operationem turbans, aut metachoresin inducens, paterentur, calore molestissimo excruciati, morti utplurimum immolabantur. *Hahn*, *Wright* et *Currie*, quorum laudes et memoria numquam emorientur, experimentis suis, litteris publice mandatis, audaci manu institutis ac felici cum eventu coronatis, primi erant, qui therapia sua e diametro opposita, *externo* quippe *frigoris* usu, demonstrarunt, fotum citra modum calidum non modo non scopo therapeutico accomodatum, sed potius nocivum esse. In febre exanthematica modicae intensitatis plerisque in casibus regimen diaeteticum subfrigidum cum aliis pro rerum statu coindicatis remediis sufficiet. Sub atroci vero febris exanthematicae forma, cute nimis et pertinaciter sicca, ardente, associantibus sese insuper symptomatibus systematis nervosi centralis morbose incitati, tractamen frigidum majoris intensitatis sub forma lotionum, nec non affusionum frigidarum in usum vocari debet.

Secundum expertissimum *Hufeland* x) affusio-

---

x) *Huf.* Journ. XI. St. November (der ganzen Folge 61. B. 5. St.)

nes frigidae in morbis contagiosis tunc indicatae sunt, dum character phlogisticus, vel constitutione individuali vel genio epidemico favente, tanta aegrum invadit malignitate, ut ex processu phlogistico, in cute incitato, organis penetralibus nobilioribus magnum periculum immineat. Hisce sub circumstantiis calorici liberi vividius extricati cita detractione opus est, ut status ille phlogisticus in systemate dermatico obveniens citissime, quam fieri potest, deprimatur, crisesque per cutem promoveantur.

Secundum *Batemann* y) nullum inveniri potest remedium efficacius, quo aestus febrilis tutius citiusque posset leniri, quam frigore externe applicato. Ipsi remedium hoc non tantum est febrifugum, sed simul optimum diaphoreticum anodynumque. Frigidas lotiones symptomatum dirissimorum lenimen subsequi, pulsuum ictus celeritate ac frequentia nimia decrescere, sitim imminui, cutis ardorem temperari, functionem cutaneam silentem prius resuscitari, somnumque placidum invitari, saepissime se observasse asserit.

Eosdem effectus laudant quoque *Currie* z),

---

y) Sur l'usage des aspersions d'eau froide et sur leur efficacité dans scarlatine accompagnée de la fiévre nerveuse par *M. Jacques-Carron,* medecin a Annecy en Savoie dans le Recueil general etc. par *J. Sedillat.* Tom. LVIII. a Paris 1816.

z) l. c.

Reil [a]); *Bruckmann*, *Horn* [b]) *Stieglitz* [c]), non tantum in scarlatina, sed in aliis quoque malignis morbis febrilibus contagiosis.

Singulae formae exanthematum, in quibus praxis medica externum aquae frigidae usum commendat, sunt:

1. *Variolae*. Ill. *Wendt* [d]) ait: »Eminet in hocce morbo processus phlogisticus, ex sphaera irritabilitatis excitatus, nervositati exinde magnas insidias struens ac metachoresi nimie favens.« Jam *Floyer* [e]) lotiones frigidas ad aestum febrilem mitigandum suadet. Narrat casum, in quo puer quidam variolans forte in aquas frigidas delapsus, egressus tunc per plures horas madidis indusiis utens, absque omni alia medicina feliciter sanatus est. — Alterum casum observavit in puero, qui sub deliriis de nocte sub caelo frigidissimo vestibus exutus, magnum iter fecit, imo in nives sese projecit, ac absque incommodo quodam exinde sanatus est. Plures adhuc refert simili modo servatos.

---

a) *Reil*, über Erkenntniss und Kur der Fieber 1. Theil. 2. Auflage. 8.

b) *Horns* Bemerkung und Erfahrung über das Scharlachfieber in dessen Archiv für medizin. Erfahrung 1811. Sept., Oct. S. 250.

c) *Stieglitz*, Versuch einer Prüfung und Verbesserung der jetzt gewöhnlichen Behandlung des Scharlachfiebers. Hannovor 1807. 8.

d) l. c. p. 160.

e) l. c. p. 248 seq.

Etiam *Hahn* [f]) ad inflammatiuncularum cutanearum vehementiam infrigendam lavacra frigida laudibus effert multis.

De inspersione cum aqua frigida hocce in malo salubri mentionem facit et *Rhazes* [g]), dum ait: »Instilla oculo statim atque apparuerint signa variolarum, aquam rosarum, et abluito faciem aqua frigida saepius in die, eandem etiam oculo inspergito.« In Transilvania vetus mos est rusticorum, infantes variolantes balneis frigidis curandi [h]). In Variolis malignis lintea aqua fontana frigida madida, post apertas pustulas variolosas pedibus manibusque applicata et omni horae quadrante renovata, cariem et gangraenam a malignitate saniei variolosae metuendam egregie praecavisse, et luridum plumbeumque ulcusculorum colorem in sanum rubellum commutasse, narrat *Kohlhaas* [i]).

Frigus vaccinatis nullum parare incommodum monet *Wilde* [k]).

Puerum, cui variolae insitae erant, sub aestu febrili convulsionibus exagitatum medicus *Ebeling*, ipsi medelam parans, sub paroxysmo aëri frigido exposuit, quo feliciter est sanatus [l]).

Reil [m]) ex aëre frigido variolantibus admisso,

---

f) l. c. p. 74. 75.

g) *Rhazes* L. s. de praeserv. a variolis etc.

h) Fischer de remedio rusticano variolas curandi 1728.

i) l. c. III. B. III. St. p. 122.

k) *Huf.* Journ. *XXI.* B. 1 St. p. 114.

l) *Huf.* Journ. 60 B. 5 St. p. 97.

m) l. c §. 314.

aestum febrilem, cephalalgiam, nec non pulsum celerem imminui, sanguinisque congestiones profligari vidit.

Wright observationes suas de usu tractaminis frigidi in cura variolarum salubri societati Londinensi anno 1779. communicavit.

Currie n) in stadio eruptionis febris variolosae, regimine diaetetico frigido solo ad mitigandum aestum febrilem non sufficiente, frigidas instituere affusiones suadet. Sub magna autem morbi malignitate variolis confluentibus, usum earum vetat. Narrat plures casus, in quibus haecce therapia, justis sub indicationibus tentata, optime respondebat.

Idem tractamen *Archiater Brandis* in praemonitione sua ad tomum secundum tractatus cel. *Currie* in cura variolarum praecipit. Momenta indicantia ex illius mente sunt: cutis nimis sicca, ardens, qua sub conditione processus formationis puris variolosi anomalus reddi solet. Sub opposita autem cutis conditione, pallida quippe et frigida, methodum perfrigerantem vetat.

Reuss anno 1800. multos febre variolosa decumbentes habuit curandos, quibus frigidum tractamen optime cessit. In suo ipso infante, cui contagium variolosum sponte inseruit, variolarum naturalium eruptionem sic praecavebat. Intra spatium 24 aut 36 horarum sub externo frigoris usu febre sola eruptiva absque apparitione exanthematis variolosi morbus fugabatur.

---

n) op. cit. p. 52 — 56.

Anno 1815. pluribus infantibus variolas artificialiter inseruit, ac methodo perfrigerante morbi decursum mitiorem ac breviorem reddidit °). Prodest perfrigeratio in cura variolarum,

1. Nimiam phlogosin cutaneam detractione calorici infringendo.

2. Vegetationem praevalentem in procreandis novis pustulis suppurantibus arcendo.

Nimius fotus calidus, cui inprimis Angli aliquando indulgebant, certe in causa erat numerosae stragis infantum variolantium. In conclavi subfrigido aegri leviter tecti in aëre saepius ventilato optime se habent variolantes. Jam *Sydenham* tractamen calidum vituperat. Sub affectione cerebri affusiones frigidae indicatissimae sunt, quae mentis stuporem et ardorem cutaneum mirum in modum leniunt.

2. *Scarlatina*. *Gerard*, referente *Currie*, primus fuit, qui anno 1794. in scarlatina, omnibus remediis incassum tentatis, affusionum frigidarum suppetias imploravit. *Currie* in tractatu suo p. 62. — 63. duos memoriae mandavit casus, in quibus medicus ille bono successu affusiones frigidas adversus scarlatinam adhibuit.

Currie methodum suam perfrigerantem quoque in *scarlatina* tentavit. Experimenta sua hocce in morbo feliciter instituta, nec non, quos ex hacce cura et *Gregory* vidit, bonos effectus publice edidit in tractatu suo citato p. 50. seq. Scarlatinae formae, quae ipsi

o) *Huf.* Journ. Suppl. 1823 p. 68, 69 — 92.

in urbe Liverpool occurrebant, medium tenuere scarlatinam anginosam inter et putridam gangraenosam stragemque longe lateque dederunt. Secundum observationes cel. *Currie* calor cutis mox post febris scarlatinosae invasionem temperaturam normalem multum superat, augetur simul sensilitas, tota superficies cutanea rubore splendido superfunditur, accedunt tensiones nuchae, raucedo et sensus vulnerationis in collo. Calorem cutis in scarlatina mitiori ad 105° — 106° in graviori ad 108° — 112° scalae Fahrenheit. ascendere vidit. Caloris usque ad 105° Fahrenh. incrementum tempus opportunum ipsi est affusiones instituendi. Aeger, vestibus exutus, in labrum immittitur vacuum, et aquae gelidae quatuor aut quinque amphorae a capite corpori superinfunduntur. Temperaturam aquae non curatius assignat. Sub tractamine sui ipsius infantis aquae temperaturam 64° Fahrenh. eligebat. Post affusiones singulas calor decrescebat, sed in scarlatina brevi iterum regrediebatur. Affusiones igitur saepius repetendae erant, ita, ut intra spatium nychthemeri subinde decem aut duodecim affusionibus opus esset. Tunc morbi ferocia erat fracta, reliquiae morbi affusionibus calidis, magnis intervallis reiteratis, cedebant. Pro potu inserviebat aqua frigida aut limonada. Alvus calomelis usu aperiebatur. Nonnunquam sub affusionibus frigidis et tartarum emeticum in usum traxit. Quam audacem et repentinam febris scarlatinosae suppressionem subsequebatur subinde lassitudo insignis, sensus debilitatis, proclivitas in somnum, quae symptomata malum effectum nonnunquam portendebant. Sed fotus calidus lecti quiesque subsequa jam sufficiebant infaustis illis symptomatibus profligandis. Ter-

tia vel ad summum quarta jamjam die reconvalescentia intravit. Fauces exploratae ruborem tumoremque offerebant, subinde maculae apparebant albidae in tonsillis. Nunquam autem exulcerationes malignas cum sanie acri partes vicinas exedente, diarrhoeam, inflammationem laryngis, suffocationis periculum, colli glandularum intumescentiam, inflammationem denique tubae Eustachianae et transplantationem inflammationis ad cerebrum usque, methodum perfrigerantem subsequi vidit, quod tamen sub magis calido tractamine persaepe fiebat. Deliria affusiones subsequi, aut, si aderant, iis augeri, *Currie* nunquam expertus est. Levis anasarca tussisque, quae nonnunquam succedebant, usui digitalis, in connubio cum cremore tartari, cesserunt. Ubi parentes a tali medicina abhorrent, ibi affusio cum aqua tepidula, licet non adeo fausto, tamen bono cum effectu adhiberi potest. Exinde morbi decursus, quamvis non uti frigido tractamine in suo progressu arceri, tamen mitigari valet; aestus minuitur, transpiratio promovetur. *Currie* tertia quoque die affusiones in auxilium vocat; sub mitiori aestu subfrigidas aut tepidulas adhibuit. Hancce methodum *Currie* ex anno 1789. postquam anno 1779. medicinam suetam, venaesectiones, purgantia, emetica etc. incassum tentaverat, secutus est.

Annis 1798., 1799., 1800. ei tantum cum scarlatina sporadica res fuit, in qua magno cum emolumento affusionibus frigidis et tepidulis usus est. Sed anno 1801. maligna epidemia caput elevabat. Ipsius uterque filius, quorum unus quinque, alter tres annos natus erat, graviter decumbebant; calor ad 108° Fahrenh. ascendebat, pulsus 105 sub minuto primo nu-

merabantur. Intra spatium 32 horarum natu major quatuordecies perfundebatur, octies frigida, (64° Fahrenh.) bis subfrigida et quater tepidula. Pro natu minori duodecim affusiones sufficiebant, quarum septem frigidae erant. In utroque puero hacce cura febris tertia die profligabatur, quarta die reconvalescentia intravit; desquamatio rite procedebat, ac praeter tumorem oëdematosum manuum nulla alia mala posthuma sequebantur.

Similes effectus salubres hujusce methodi curativae *Gregory* expertus est. Filius suus natu maximus, sex annorum, gravissima scarlatina infestatus, intra spatium nychthemeri ter aqua frigida perfundebatur, bisque frigido immersus fuit balneo. Semper lenimen symptomatum exinde est visum. Quadraginta horis post primum valetudinis laesae sensum jam sanatus fuit, licet nulla alia in auxilium ducta fuerint remedia. Instituebantur etiam lotiones frigidae in infante dentitionis periodo occupato, eaeque eodem faustu successu. In tertio sufficiebant tepidulae affusiones. In loco quodam, in quo in angusto spatio 48 homines cohabitabant, quos inter 26 in puerili adhuc versabantur aetate, anno 1801. scarlatina erumpebat. *Currie* in auxilium vocatus, morbum scarlatinosum in variis vario in stadio dignoscebat. Perfusiones erant indicatae. Sub coelo calido parvuli in aulam ducti aqua fontana perfundebantur. Aestu imminuto tepidulae tantum institutae sunt perfusiones. Erant novem, in quibus affusiones tentatae fuere. Omnes reconvaluerunt. Excepto potu ex acido muriatico et aqua conflato, nulla alia propinata fuere medicamina. Alvus clausa subinde calomelis usu pro-

liciebatur. In uno tantum perfusio male cessit. Aestus erat multo mitior ad 99° — 100° Fahrenh., anxietas insignis. Perfusione facta non scarlatina, sed *variolae* apparuerunt, et parvus aeger periit. Anno 1804. scarlatina in urbe Liverpool saepissime parvulos excruciabat. *Currie* 150 infantes hacce therapia feliciter tractavit. Saepissime morbum exinde in ovo suffocavit, nonnunquam contagionem hac methodo praecavit. Sed scite monet *Currie*, ne unquam perfusio frigida instituatur, nisi sub *cute sicca* et *aestu immodico, ardente*; sub opposita conditione semper affusionis applicatio infaustos eventus secum fert. Etiam in morbillis ex errore quodam eadem parabatur medicina, qua morbi decursus mitior reddebatur. Abhorret autem hacce therapia sub inflammatione organorum penetralium, praecipue pulmonum.

Kolbany p) jam anno 1808. methodum *Wright* et *Currie* optimo cum successu adhibuit. Inter tringinta octo aegros, in quibus affusiones frigidae, nec non tepidulae adhibitae fuerant, nec unus morte abripiebatur. Plures quam centum scarlatina laborantes pro vario rerum statu frigidae aut tepidiusculae aquae perfusionibus feliciter se curasse confirmat. Alia medicamina plerique plane nulla acceperunt, nonnullis emetica tantum porrigebantur. Morbi decursus in omnibus erat mitis et brevis. Inter morbos posthumos levem intumescentiam oëdematosam manuum pedumque brevi iterum disparentem memorat.

---

p) *Kolbany* Beobachtung über den Nutzen des lauen und kalten Waschens im Scharlachfieber. 1808.

Eosdem effectus observarunt quoque *Stanger* et *Reid* q). Virtuti eximae aquae frigidae, externe adversus scarlatinam applicatae, subscribit etiam *Wood* r), qui subinde, dum ob anginam malignam opus erat, acidum muriaticum aut ad sedem proliciendam magnesiam carbonicam aliaque catharctica aegro concedebat. Lotiones frigidae morbi vehementiam subigebant. Posthuma mala non apparebant. Desquamatio normaliter procedebat.

Batemann s) ait: »In nullo remedio, nec in sanguinis detractione ipsa, tam potens inveniri potest agens, quod par sit tam cito et tuto functionibus animalibus subigendis, quam suppeditat externa aquae frigidae applicatio in scarlatina, sub aestu immodico adhibita.«

John Armstrong t) in primo morbi cyclo frigidas, in altero calidas adhiberi jubet affusiones.

Weicard u) in stadio inflammatorio scarlatinae lotiones ac injectiones subfrigidas praecipit.

Inter medicos Germanos imprimis hancce sequuntur methodum *Nasse, Petz* et *Horn*.

Nasse in scarlatina epidemica anno 1809. — 10., in vicinitate *Bielefeld* regnante, in quindecim aegris, in quibus aestus a 102° — 104° ad 108° Fahrenh. usque

---

q) In op. cit. *Stieglitz* p. 300.

r) Medical and physical. Journal. 1808. Februar.

s) *Batemann* prakt. Darstellung der Hautkrankheiten a. d. Engl. übersetzt v. *Abrah. Hahnemann* mit Anmerkungen v. *Curt. Sprengel*.

t) Practical illustrations of the scarlet fover. 1818.

u) *Weicard* med. prackt. Handbuch 1797.

increvit, lotiones frigidas adhibuit. Quae therapia sola apud sex aegrotantium sufficiebat; in reliquis alviducentia tantum in usum trahere opus erat. Morbi posthumi nulli subsequebantur. Lotiones prima, secunda aut tertia die post scarlatinae eruptionem instituebantur ac repetebantur, donec aestus mordax siccitasque cutis profligatae erant [v]).

Petz simili modo anno 1812. scarlatinam feliciter curavit. Sed, quum parentes ab affusionibus frigidis abhorrerent, aegros spongia aqua fontana imbuta lavandos curavit, quam curam toties repeti jussit, quoties *aetsus ardens*, *aegri irrequies* et *deliria* regrediebantur. In sex publice notatis casibus eventus quinquies faustus fuit. In sexto casu scarlatina encephalitide intensa erat stipata. Lotiones frigidas parentes a principio non admittebant. Apponebantur hirudines circa collum et fomenta frigida ad caput, interne propinabatur nitrum et moschus. Sed breve levamen mox exacerbatio omnium symptomatum subsequebatur. Instituebantur tunc lotiones frigidae, sed frustra; post 24 horas mors scenam claudebat [w]).

Horn [x]) in nonnullis nobis communicatis casibus affusiones frigidas in scarlatina et rubeolis faustissimo cum successu adhibuit. Perfusiones fiebant, dum aegrotantes balneo calido utebantur, aqua frigida capiti superinfusa. Sed apponebantur simul hirudines ad

---

v) *Hufel* u. *Himly* Journ. 1811. October. S. 1. und ff.

w) *S. Markus* Ephemeriden der Heilkunde. VI. B. II. Heft. S. 83. ff.

x) *Horns* Archiv. 1811. Nov., Decemb. S. 500. 1812. März, April. S. 374.

regionem capitis, admovebantur quoque capiti fomenta glacialia; interne hydrargyrum muriaticum mite propinabatur. Sed benefica actio affusionum frigidarum qua princeps morbi vim infringens remedium excellebat.

Etiam *Marcus* y) ut in scarlatina inflammatoria, ita in nervosa affusiones frigidas commendat. Conditiones pro frigida affusione ipsi sunt: capitis *affectio praedominans*, *cutis sicca*, *urens*, *febris vehemens*, *aegri* irrequies, *exanthema* supra *totam superficiem cutaneam diffusum*, *maculae intense rubrae*, *confluentes*. In periodo desquamationis ipsa, si aegre cedebat, prospero cum eventu affusionem tentavit. Ex illius mente cura haecce continuanda est, donec aestus abnormis ad temperaturam normalem redeat, functio cerebri restituatur, febris vehementia remittat, et desquamatio normaliter progrediatur.

Heim et *Brandis* jam plures ante annos methodum cel. *Currie* in maligna scarlatina utilissimam praedicabant.

Eandem laudem huic curae tribuit etiam *Stieglitz* z), qui hancce medendi rationem acerrime propugnat. Quod aquae temperaturam attinet, non esse tanti momenti confirmat. Hinc pro diversitate anni temporum varios varii temperaturae gradus in usum trahi posse putat.

---

y) *Marcus Eph.* Entwurf der spec. Therapie. tom. III. p. 286.

z) l. c. p. 293 — 303.

Henricus de Martius, qui per plures annos methodum hancce feliciter in Russia adhiberi vidit, ipse tunc in quadam epidemia cum emolumento ea usus est [a]).

Dopfer frigidum illud tractamen in illa maligna scarlatina dissuadet, dum aeger oculis fixis torvisve lecto indifferens prostratus jacet, quod ipsi certum instantis mortis signum est [b]).

Rayez [c]) in opere suo momenta pro affusione frigidae in scarlatina statuit sequentia: *cutis ad causum usque urens*, *siccitas pervicax*, ita, ut inversio polorum et evolutio characteris typhi minitetur. Laudantur ibi affusiones frigidae ob virtutem febris aestum moderantem, nec non diaphoreticam, vi cujus exanthema infeliciter retrogressum revocari potest.

Secundum *Wendt* [d]) indicantur in illa scarlatinae forma, quae cum magna systematis cerebralis affectione incedit, praeprimis sub venositate excedente, ita, ut morbus synochi magis, quam synochae faciem prae se ferat. Frigus, ait, tunc utile est, si vel intensitas vel anomalus status inflammationis nervositatem magis aggreditur, si cerebrum processu inflammationis detinetur, sub *comate*, *temulentia*, *deliriis apoplexiae* periculo. Quo in casu frigus, capiti capillis abrasis in forma fomentorum admotum, appa-

---

a) Dresdner Zeitschrift für Natur- und Heilkunde. 4. B. 3. Hft. S. 423.

b) Mediz. Annalen. 1823. p. 1463.

c) Ttraite theorique et practique de maladies de la peau par *P. Rayger* tom. I. et II. Paris 1826 — 27.

d) op. cit. p. 220, seq.

ratum antiphlogisticum potenter adjuvat. Subinde remedium hoc unicum et princeps est, quod omnibus aliis incassum tentatis solatium adhuc et auxilium praebet. Saepissime haecce methodus curativa, per dimidium tantum horae in subsidium vocata, aegrum jam orci faucibus proximum eripere valet. Recedendum autem est, si symptomata leniuntur, et sudor erumpit. Lenimen symptomatum periculosorum certissimum signum effectus benigni hujus tractaminis sistit.

Praestantiam hujus remedii confirmat quoque *Pfeufer* [e]).

Reich [f]) in frigore specificum habet remedium. Subscribit quoque *Daehne* [g]).

Alberle omni altera aut tertia hora diu noctuque lotiones frigidas in scarlatina instituere suadet; circa auroram vero et vesperam affusiones melius conducere monet. Concedit quoque internum usum calomelanos. Qua in therapia per tres circiter dies continuat, tunc acidum sulphuricum in usum ducit [h]).

Reuss [i]) anno **1812.** cum maligna scarlatina, multos trucidante, satagendum habuit. Methodus antiphlogistica parum tulit levaminis; affusiones vero frigidae omnem curationis paginam absolvebant. Ad hoc tem-

---

e) *Christian Pfeufer*, der Scharlach, sein Wesen und Behandlung. Bamberg 1819.

f) *Reich*, neue Aufschlüsse über die Natur des Scharlachfiebers.

g) *Daehne*, einige Beiträge zur Kur des Scharlachfiebers.

h) Salzburger med. litt. Zeitung. N. 64. 1820. p. 188.

i) *Huf.* Journ. Suppl. 1823. p. 72.

pore in hocce exanthemate, nec non in *morbillis* et *rubeolis* hacce therapia usus est. Ipse febrem non substantivam, sed derivatam, phlogosi cutanea conditionatam habet; hinc nec in stadio frigoris ab affusione frigida abhorret. Topica inflammatione, dermatitide videlicet devicta, et febrem fugari putat.

Fröhlich k) multos narrat casus, in quibus perfrigeratione externa, ut in scarlatina, ita in aliis exanthematibus usus est. Casum notatu dignissimum *scarlatinae nervosae* (in *Huf.* Journ. tomo 61. sect. 2. p. 12.) legi potest, in quo tractamen frigidum egregie successit. Vires repentine labebantur, aderant blanda deliria, typhomania, cutis sicca, arida, pulsuum ictus 124 sub minuto primo, febris vehemens, exanthematis, quod sexta morbi die apparuit, repentina fuga, calor cutis 104° Fahrenh., 32° Reaum. Propinata sunt interne: sal ammoniacus, emetica, calomel, flores arnicae cum aceto ammoniae ad diarrhoeam effrenem supervenientem sistendam, sinapismus ad pedes, nec non vesicans ad pectus. Omnia autem frustra tentata erant. Instituebantur tunc affusiones frigidae aegro balneo calido insidenti; exinde deliria profligabantur, somnusque placidus invitabatur. Rediit iterum conscientia, omnia symptomata dira decreverunt. Nona die ne vestigium quidem pristinae morbi atrocitatis aderat. Cutis evadebat mollis, pulsus elevatus, calor a normalitatis calle non aberravit.

---

k) Beobachtung und Abhandlung aus dem Gebiete der gesammten prakt. Heilkunst. 6. B. S. 355 und ff. — Mediz. Jahrbuch des k. k. österr. Staates; herausgegeben vom Direktor und Professor des

Thaer [1]) lavationes instituit frigidas in scarlatina sub phantasmatibus continuis, emesi ac irrequie magna, pulsuum ictibus in primo minuto 140 — 150, sub vehementi parotitide et angina, nec non contemporanea pulmonum affectione ante exanthematis eruptionem, et tandem, si sub illius flore alia organa penetralia in sympathiam ducuntur. Morbum in suo decursu hacce therapia opprimere non contingebat, sed semper post lotiones febris mitigabatur, pulsus ad 20 ictus decrescebat, inducebatur somnus placidus, organa sympathico modo affecta liberiora evadebant, phantasmata evanescebant, tumores parotidum nunquam in suppurationes transibant; exanthema lotionibus frigidis adeo non repellebatur, ut pluribus in casibus potius provocaretur; tempus remissionis plerumque unius aut trium horarum spatium explebat. In scarlatina monet, frigus diutius ac intensius applicari debere, quam in aliis exanthematibus, quum in illa tota superficies cutanea in eodem versetur processu phlogistico, quo alias singulae tantum plagae cutanae occupantur. Dum in morbillis lotiones frigidae per spatium trium minutorum adhibitae sufficiunt, in scarlatina per 6 — 8 minuta continuari debent, imo in scarlatina ad affusiones frigidas confugere est necesse, si lotiones morbi vehementiam frangendo impares cognoscantur. Effectum salutarem methodi

---

Studiums der Heilkunde an der Universität zu Wien. 1. B. 1. St. p. 14 und ff. und 1. B. 2. St. p. 212.

1) *Kleinerti* Repertorium 4. Jahrg. *XII.* Heft. Decemb. 1830. p. 96 seq.

perfrigerationis in cura exanthematum auctor ad sequentia reducit momenta:

1. Inflammationis vim infringendo exanthematis proruptionem levat.

2. Aegrum quietiorem reddit, aequilibrio inter functiones turbatas restituendo.

3. Pulsuum celeritatem eadem ex causa minuit temperatque.

4. Functionem cutaneam suppressam resuscitat.

5. Desquamationem maturat, dum reproductionem novae cutis adjuvat.

6. Sensilitatem cutis, quam post exanthema exantlatum nonnumquam auctam experimur, obtundit.

Nulli certe dubio subest, quod frigido tractamine processus vegetativus, in systemate dermatico justo vividius incitatus, refrenetur, calido vero fotu eo potentius invitetur, ita quidem, ut et lymphae secretio provocetur, quod in scarlatina milliformi est videre.

3. *Morbilli.* Licet *Currie* omnibus in morbis febrilibus exanthematicis contagiosis, datis pro externo frigoris usu conditionibus, remedium illud commendet: tamen in morbillis eo uti cunctabantur medici ob hocce in morbo eminenter affecta organa respirationi dicata. Sed auctoritate plurium arte medica versatissimorum virorum evictum est, perfrigerationem externam, sub justis cautelis institutam, etiam hocce in morbo utiliter adhiberi posse.

Reuss methodum hancce eodem in morbo in suo ipsoin fante utilissimam invenit. Anno 1814. plu-

res, morbillis ac tussi convulsiva laborantes, lotionibus frigidis feliciter tractavit m).

Etiam *Fröhlich* experimenta sua numerosa circa fructuosam hancce therapiam et in febre morbillosa litteris memoriae mandavit n).

Sic *Thaer* o) sub epidemia anno 1823. urbem *Nauen* et vicos *Lietzow* ac *Berge* invadente, plurimisque infantibus necem afferente, lotiones frigidas felicissimo cum eventu in subsidium vocavit. Ex 50 aegrorum non lotorum **11** de vita decessere, ex 68 lotorum unus tantum obiit.

Aeger, lavabatur dum temperatura corporis gradus 29° Reaum. excedebat, sub magna simul aegri irrequie, respirio brevi. Quo major cutis calor, eo frigidior aqua seligebatur. Caeterum auctor ille praescriptionem cel. *Fröhlich* maxima ex parte secutus est, quam in schemate praemisso habemus. Turba paululum pacata, aut sudoris stadio ingresso, nunquam lotio instituebatur.

Morbus hacce sub epidemia characterem induebat magis phlogisticum. Organa maxime affecta erant pulmones, in nonnullis cerebri vividior incitatio

---

m) *Huf.* Journ. Suppl. 1823. p. 15, 92 — 93.

n) *Ibidem* p. 23. 24 — Beobachtung und Abhandlung aus der Geschichte der gesammten praktischen Heilkunde 6. Buch, p. 352 Mediz. Jahrbuch des k. k. österr. Staates 1. B. 1. St. p. 13. seq. und 1. B. II. St. p. 212.

o) Ueber den Gebrauch der kalten Waschungen in den Masern von *Dr. Thaer* in Berlin, vorgelesen in der Gesellschaft für Natur- und Heilkunde 4. Nov. 1828.

sese offerebat. Remedia excitantia erant damnosa, antiphlogistica vero optime respondebant, ita quidem, ut in mitiori morbo sufficerent ad morbum vincendum, in vehementiori autem lotiones frigidae erant pernecessariae. Infantes loti octava jam die reconvaluere, expectoratione facilitata. In nonnullis sanitas absque crisibus luculentis reversa observabatur.

Reuss p) similes effectus faustos ex frigida lotione vidit in *rubeolis*, subinde morbillorum faciem induentibus. Adsentit quoque *Horn* q) et *Milius* r).

4. *Miliaria.* Jam *Hahn* s) in febre miliari ad aestum nimium moderandum lotiones frigidas commendat. Legi potest causus, in quo lotiones faciei et manibus admissae in *febre miliari* puerperae, constitutionis tenerae, aestu nimio exagitatae, mirabili effectu coronabantur t).

5. *Typhus.* Virium nonnumquam in typho contagioso repentinus lapsus, efficientia systematis nervosi, praecipue in sphaera centrali laesa, pulsus parvus, et reliqua symptomata nervosa in causa erant, quod medici usum frigoris in typho contagioso respuebant, metuentes, ne ex stimulo hocce negativo energia systematis nervosi plane infringeretur. Sed falsam esse hancce opinionem, typhum characterem astheniae semper prae se ferre, nemo medicorum nunc in du-

---

p) *Hufel.* Journ. Suppl. 1823. p. 93.

q) Archiv medizin. Erfahrungen. 1812. I. Bd.

r) *Hufel.* Journ. Suppl. 1831. p. 10.

s) l. c. p. 74.

t) *Hufel.* Journ. 57. Bd. 1 St. p. 116.

bium voccabit. Docet enim praxis, typhum primo in stadio activum induere characterem, et quae occurrunt debilitatis signa, non revere deficientes, sed oppressas tantum vires vitales annuntiare.

Recte monet *Wedekind* [u]), debiles cordis et vasorum motus, in typho subinde cognoscendos, ex anhaemia spuria, seu ex defectu stimuli sanguinei in organis centralibus ob majorem in canalibus minoribus systematis capillaris accumulationem, esse deducendos. Obvenit videlicet in typho similis pathologicus processus, qui non raro in synocho occurrit, quo humorum nisus magis peripheriam tendat, ita ut vasa centralia illo careant stimulo sanguineo, quo capillaria in damnum reliquae oeconomiae animalis obruuntur. Qua ex disproportionali partitione sanguinis non fieri non potest, ut efficientia systematis nervosi, inprimis sphárae centralis, ex nimia pressione sanguinis, in canalibus minimis capillaribus cerebri morbosae accumulati, in sua activitate impediatur. Exinde stupor, typhomania aliaque symptomata nervosa. Hisce sub circumstantiis agitur de stimulo potenti, quo humorum massa magis a peripheria ad centralia determinetur, ut tali modo systema cardiaco - arteriosum ad majorem et aequabiliorem incitetur reactionem, motusque sanguinis, concentu harmonico vasa majora inter et minora restituto, liberior reddatur. Cui fini certe nullus stimulus melius potest respondere, quam frigus sub forma lotionum aut affusionum applicatum. Affusiones praeprimis bene agunt propter virtutem suam, totum

u) *Hufel.* Journ. 58. Bd. 2 St. p. 80—83.

systema nervosum periphericum et centrale exstimulandi, quo vasa minora ad majorem provocantur contractionem, massa humorum, polis nunc inversis, a peripheria ad centrum dirigitur, venae, quae sanguinem nimia quantitate aductum e capite revehere non valebant, unde facies rubra, oculi suffusi, deliria aliaque signa ominosa oriebantur, justam nunc ejus quantitatem melius posunt promovere, quo omnes functiones sensibilitatis, irritabilitatis ac reproductionis agilius perficiuntur. Accedit adhuc physica frigoris actio, calorici dertractio, vi cujus potentissimum expansioni favens principium imminuitur, ac tali ratione putridae decompositioni obex ponitur; accedit porro frigoris contagium delendi aut enervandi haud exigua potentia, qua saltem processus fermentationis ultra modum excitatus infringitur.

Praestantiam frigoris externe applicati confirmat quoque *V. Hildebrand*, dum ait: »Nil tutius esse, quam frigus eo in gradu admissum, quo contagium typhicum delere, vel saltem in evolutione sua praepedire valet, quo remedio solo typhus nonnunquam in ovo suffucari valet.

Jam *G. Hahn* v) externum usum aquae frigidae in febribus malignis, petechiis notatis, salubrem memorat.

Qua vindex hujus in typho curando methodi *Currie* est laudandus, qui exemplo cel. Doctoris *Wright* invitatus, externam applicationem anno 1787. in cura typhi maligni tentavit, ac, quum haecce medicina salubri successu coronaretur, eam tunc in omnibus febribus ma-

v) op. cit. p. 76.

lignis in auxilium vocavit. Secuti sunt illum: *Dimdale*, *Marshall*, *Magrath*, *Cochrane* aliique plures [w]).

Germanos inter medicos *Brandis* primus ad hocce efficax, a plerisque medicis Germaniae minus aestimatum remedium, animum convertebat. In epidemia, quae anno 1801. Brunsuicum invadebat, plures quam quingentos, typho exanthematico graviter decumbentes, lotionibus frigidis ex aqua communi, cui nonnunquam aceti aliquid admiscebatur, felicissime tractavit. In millenis aegrotis lotionibus frigidis aut subfrigidis eodem fructu bono usus est [x]).

Brandis lotiones frigidas non tantum a morbi principio ad illum in prima origine opprimendum commendat, sed etiam in morbo magis adulto, sub cute sicca, urente, aestu magno, ut saltem ad tempus quoddam symptomata ominosa moderentur. In typho mitiori vero cum cute pallida, quasi emortua, horripilationibus saepiuscule regredientibus, balnea tepidula in usum trahit. Sub vasorum cutaneorum paralysi, petechiis aliaque cutis decoloratione cum contemporaneis aliis signis veram debilitatem annuntiantibus, frigus damnosum declarat remedium.

Efficaciam hujus remedii curativi plurimis observationibus ac experimentis comprobatam habet *Hirsch*, consiliarius collegii medici Baruthi [y]).

De saluberrimo effectu affusionum et lotionum

---

w) In op. cit. *Currie* p. 121. seq.

x) Siehe dessen Vorrede zum 2. Theile *Currie's* Abhandlung.

y) *Horns* neues Archiv. B. VII. Heft 1. p. 45.

frigidarum in typho exanthematico et nosolochiali uberrima memoratuque dignissima publice edidit experimenta *Horn* [z]). Subscribit virtuti eximiae hujus curationis et *Wolfart* [a]).

Hegewisch [b]) pro affusionibus frigidis sequentia statuit momenta: Temperatura revera supra normam aucta, cutis functio laesa, vires vitales adhuc vigentes, stadium primum aestus febrilis.

Kolbany [c]) externa frigoris applicatione in primis tribus diebus typhi contagiosi in subsidium vocata morbum jugulari posse confirmat. Admittit usum illius remedii etiam quarta, nec non quinta die, in morbo autem protracto, si calor non 96° F. excedat, qua valde anceps dissuadet hocce remedium.

Ackermann in tractatu suo de typho contagioso p. 288. lotiones frigidas in stadio febrili, molestissima cephalaea, certo typhi instantis praeludio, stipato, maxime salutares laudat. Affusiones vero praestantissimas praedicat in illo stadio, quo vasa cerebralia sanguine turgent, et multum citra diametrum normalem extenduntur pandunturque. In typho contagioso, dicit, cerebrum organon est eminenter affectum, quod ex perfusione frigida multum percipit leniminis. Primum autem occiput est rigandum. Systema enim vasorum cerebrale inferius, systema vasorum verte-

---

z) Archiv 1811. Mai, Juni. p. 491. ff. und 1812. März, April. S. 380.

a) Asclepieon Berlin 1811.

b) *Huf.* Journ. XXX. B. 3. St. p. 15.

c) Bemerkung über den ansteckenden Typhus 1811.

brale quippe, primum sanguine innundatur, tunc aquae radius ad tempora, verticem et postremo frontem versus est dirigendus, quod tractamen continuari debet, donec aeger ex sopore suo profundo resuscitatus fuerit. Affusiones minoribus intervallis ex dimidia ad integram usque horam reiterandas jubet.

Hall [d]) typhum malignum observavit, numerosis petechiis nigri coloris notatum, in quo lationes frigidae ex aqua aceto remixta institutae ac bis de die repetitae, etiam sub dolore pleuritico, tussi aliisque symptomatibus pneumonicis, magno cum emolumento adhibitae fuerunt. Omnia symptomata portentosa post usum lotionum minuebantur, emeliorabatur quoque color luridus petechiarum, brevi disparebant petechiae ipsae, pulsus mollis prius ac celerrimus fortior tardiorque reddebatur, cutis mollescebat, deliria, quae aderant profligabantur, inducebatur somnus, facultates appetentes, prius silentes, nunc reviviscebant.

Reil [e]) in cura typhi aëris frigidi usum commendat, quo erethismus nervosus facillime pacari potest. Frigus enim caloricum liberum, nimia quantitate extricatum, ex legi physica detrahit, aegrumque exinde multo quietiorem reddit. Portam igitur ac fenestras aperire, et subinde balnea frigida in subsidium trahere suadet.

Anno **1813.—14.** typhum bellicum Wratislaviae dirissime saeviisse, et innumeros homines ad Manes demisisse legimus. In hacce epidemia atrocissima

---

d) *Halls* medic. comment. T. c. 327.

e) op. cit. §. 314.

C. W. Hufeland aërem frigidum, potulenta frigida, lotiones ac affusiones frigidas, nec non balnea universalia, omnia alia in auxilium vocata remedia praestantia multum superasse memorat [f]).

Goeden [g]) sub meteorismo diarrhoeisque, typho contagioso supervenientibus, fomentationes frigidas, abdomini superhabitas, utilissimas fuisse testatur.

Loebenstein Loebel fomentationibus frigidis capiti et nuchae admovendis optimo cum effectu in typho usus est [h]).

Lehmann frigidas affusiones in typho felicissime adhibuisse narrat [i]).

Milius aegrostos suos typho laborantes, linteorum stragulis inferioribus tegendis inservientium ope labro, aqua temperaturae **11½** aut **12½** scalae Reaum. ad duas tertias usque repleto, immergendos, dein caput frigidis perfundendum curat. Quo facto, aeger resiccatus lecti tepore foveri debet [k]).

Gremler adfirmat, typhum simplicem nullis pharmaceuticis remediis, sed solo regimine diaetetico subfrigido sanari posse; in graviori vero typho affusiones frigidas commendat [l]).

G. B. Berti et *Tomaso Gugerotti Fracastor*

---

f) In seiner Abhandlung über die Kriegspest. p. 131.

g) *Huf.* Journ. 1814. April.

h) Allgemeine Annal. April. 1814.

i) Allgem. Annal.

k) Russische Sammlung für Naturwissenschaft und Heilkunde. 1. B. 4. Heft. S. 599.

l) Miscellanen preussischer Aerzte aus dem vierteljähr. Sanitätsberichte in *Huf.* Journ. 65. B. 16. St. p. 147.

frigidorum balneorum usum in cura typhi laudibus effert magnis m).

Dzondi n) aquae frigidae externum usum in primo stadio typhi laudat.

Ex sententia cel. *Fröhlich* frigida aëris temperatura, per 24 aut 36 horas continuo admissa, in cura typhi multum praebet utilitatis. Praefert autem affusiones, lotiones et balnea, quia magis est in potentia medici, intensitatem et extensitatem in his, quam in illa limitare. Semper vero regimen diaeteticum magis frigidum observandem monet. Quodsi de contagio suscepto certitudinem habemus, balneis frigidis mox in auxilium vocatis, typhum in sua prima origine suffocari posse profitetur.

Momenta affusiones indicantia ex sententia illius sunt: aestus febrilis nimius, cutis sicca, aspera, praesentia deliriorum, petechiarum, exuberans systematis vasorum activitas. Post usum balneorum frigidorum, arteriarum ictus, quos in adultis ante usum balnei 120 — 130 in minuto primo numeravit, post balneum numero 10 — 15 — 20 imminutos cognovit o).

Reuss etiam in febri petechiali, (*Reuss* Fleckenfieber) millenos aegros anno 1813. — 14. — 17. graviter infestatos, frigidis affusionibus ac lotionibus servavit. Pro vario rerum statu varios frigoris gradus in usum trahit, primo in gradu *aërem frigidum* tantum admittit, in secundo *lotiones frigidas* capitis,

m) Notizie storiche interno al fiso carcerale di Verona dell' anno 1817.

n) *Dzondi* über das Nervenfieber. 1814.

o) *Huf.* Journ. Suppl. 1823. p. 39. seq.

faciei brachiorumque instituit, in tertio gradu tota corporis superficies *lavatur* vel *perfunditur*, in quarto superficies corporis *glacie* et *nivibus* fricatur. Etiam sub cute humida instituit affusiones. Hacce methodo curativa numerosos cum morte jam luctantes sanitati iterum redonavit [p]).

Pitschaft affusiones frigidas in typho adhuc salutares invenit, dum lotiones frigidae nullum jam levamen ferebant [q]).

Sed jam *Oribasius* (cap. 25. de pestilentia) ait: »Si vero aegrotus ardore aestuet, flammaque ad pectus usque pertingat, non ab re fuerit, super pectus imponere refrigerantia.«

Grohmann affusionibus frigidis adversus pestem optimo cum effectu usus fuisse legitur [r]).

Secundum *Brock Faulkner* frigidae affusiones in duobus aegris, peste laborantibus, saluberrimos exhibuerunt effectus.

Samoëlowitz in tractatu suo de peste, quae anno 1771. Russiam invasit, metòpiis frigidis magnam laudem tribuit.

In atroci febri flava, quae anno 1791. Jamaicam infestavit, frigidas affusiones omnibus aliis in usum ductis remediis palmam eripuisse, ex illis, quae *Jacson* et *Maclean* publice notavit, comperimus [s]).

---

p) *Ibidem* p. 90. seq.

q) *Ibidem* p. 172 seq.

r) Beobachtung über die im Jahre 1812 herrschende Pest zu Bukarest.

s) *Jacson*, über die Fieber in Jamaica, London 1791. *Macleans* Untersuchung über die Beschaffenheit und

De summa frigoris externi adversus typhum exanthematicum salubritate docte et scite disseruit nuperrime cel. Doctor *Riegel* in disputatione sua medica inaugurali t). Plura adfert exempla lectu digna, in quibus tractamen frigidum egregium sese praestitit. Adduco tantum unum casum, in quo frigida perfusione instituta contagii vis uno quasi ictu frangebatur. Aeger robustus viginti annorum, in flore aetatis suae versans, constitutionis athleticae, die morbi sexta ad nosocomium delatus, omnia typhi contagiosi signa manifesta offerebat. Calor cutis ad 112° Fahrenh. evectus, cutis sicca, ardor insignis manui tangentis peculiarem inamoenum inprimens sensum, cutis rubra, caput obrutum, typhomania, facies rubra, carotidum pulsatio visibilis, pulsus frequentissimi, duri. Superfundebatur corpori denudato aqua frigida + 2° R. per aliquot horae momenta, et post iteratam ad vesperas superfusionem derepente levamen omnium symptomatum tam promptum, ut aeger nocte quiete transacta, sudore extricato largo, altera die se ex omni parte sanum affirmaret. Post dies aliquot aeger reconvalescens nosocomium dereliquit.

Egomet ipse intra duorum annorum spatium, quo studia medico-practica prosecutus sum, plures in clinico nostro Pragensi vidi morborum acutorum, nec non chronicorum casus, in quibus sub auspiciis celeberimi ac expertissimi Domini Professoris *Krombholz*

Ursachen der grossen Sterblichkeit unter den Truppen in Domingo, London, 1797.

t) De typho contagioso exanthematico anno 1825. — 26. Pragam epidemice infestante etc. Pragae 1828.

frigoris externi usus optimo cum effectu in auxilium vocabatur. Quum autem casus illi in conspectu morborum, dissertationis proxime edendae argumentum sistente, typis sint mandandi, mihique, ne dissertatiunculae limites egrediar, spatio parcendum sit, veniam nactus, unum tantum casum, *scarlatinam nempe inflammatoriam anginosam,* in qua affusiones frigidae exoptatissimo coronatae sunt effectu, dissertationi meae adpono.

Historia morbi.

Cz. Rosalia, virgo septemdecim annorum, constitutionis corporis firmioris, temperamenti sanguinei, vitae conditionis ancilla, ab incunabilis nullis morbis infestata, excepta pleuritide, ex qua in nosocomio nostro brevi convaluit tempore, sexta mensis Junii anno 1829. valetudinariam sese sentit. Circa vesperas nempe deglutitio quidpiam dolorifica est reddita; supervenit quoque horripilatio, de nocte in frigus sat validum abiens, quam excepit cutis aestus intollerabilis, omnem quietem reficientem aegrae eripiens. Sitis erat tantalea, vix fallenda, coenaestheseos sensus valde alienatus, associavit se mox cephalaea pulsans, pungens, vertigo, carebarya, photophobia, chrupsia, calor faciei auctus, baryecoia, vomituritiones vomitusque continuus, dedolatio insignis, quae symptomata ad auroram usque perduravere. Altera et subsequis diebus status aegrae, domi calidis fotae et diaphoreticis tractatae, in dies pejor evasit. Aderant pervigilia, deliria, insomnia terrifica,

aestus cutaneus molestissimus, accedit pruritus inamoenus in tota cutis superficie; angina incrementum cepit, subsequebatur cutis decoloratio profunde rubra, in facie, manibus, pedibus primo distinguenda, continuavit vomitus rebellis, associavit se tussis molesta, rauca, dolorifica, frequens narium stillicidium, supervenit dein somnolentia continua. Hisce sub circumstantiis morbus summum emensus est culmen.

Die 10. *Junii* aegra in nosocomium generale advecta, ubi in schola medico-practica suscepta, mane sequentem morbi obtulit imaginem: cephalaea pungens, pulsans, caput grave, vertiginosum, somnolentia, indifferentia, oculi languidi, nares obstipae, turgor, rubor, calor, faciei aucti, deglutitio valde difficilis; fluida haurienda per nares regurgitantur, inflammatio palati mollis et tonsillarum magna, rubor et tumor insignis, ut fretum pharyngeum fere occludant, hinc inde lymphae exsudatae striae albae in partibus inflammatis cernuntur, motus linguae et maxillae inferioris ob intensitatem phlogoseos partium vicinarum difficilis, tumor externus colli sat magnus, major in dextro latere, quam sinistro, sub attactu dolorificus, carotidum vibratio visibilis, os exsiccatum, lingua praerubra, sapor fatuus, appetitus prostratus, sitis intensa, loquela tarda, vox rauca, pharyngea, tussis frequens, molesta, sicca, respiratio citata, dyspnoica, suffocationis metum minitans, palpitatio cordis vehemens, abdomen expansum, indolens, alvus clausa, calor cutis auctus, ardens, ad 110° Fah. — 35° R.; exanthema in facie, in antibrachiis et cruribus conspicuum sub forma macularum rubrarum laevium, deformium, sensim inter se confluentium, panni coccinei instar

superficiem cutaneam hinc inde suffundentium, milliaribus nullis intermixtis, sub digiti pressione albam relinquunt maculam, quae tamen, digito remoto, confestim centrum versus pristinum accipit colorem, pulsus frequentissimi, celeres, duri, parvi.

Diagnosis. Scarlatina inflammatoria anginosa gradus vehementioris in stadio florescentiae.

Therapia. Venaesectio ad uncias sex, hirudines ad collum N. 12 et decoctum althaeae cum manna electa, syrupo de althaeae. Pulveres ex calomelis grano integro pro dosis omni 4. hora summendi. Pro potu decoctum althaeae. De die morbi forma vix mutata. Sanguis missus crusta inflammatoria destitutus.

Vesperi. Status pejor evasit. Cephalaea major pulsans; continua fere somnolentia, sensuum ex - et internorum stupor perstans, indifferentia, adiaphoria insignis, oculi semper fere clausi, vertigo sub situ erecto, carebarya, baryecoia, nares obstipae, divaricatio maxillarum, siallorrhoea continua, lingua tumida, praerubra, fissa, tumor inflammatorius arcadum idem, lympha exsudata, hinc inde pallatum molle obtegens, deglutitio laboriosa, regurgitatio fluidorum, aphonia, alalia, anorexia, potulentorum ob dolorificam deglutitionem aversio, sitis vero intensa, tumor externus colli in ratione inflammationis internae faucium, respiratio dyspnoica, tussis frequens, rauca, sicca, cordis ictus vehementes, abdomen liberum, alvus semel deposita, urina parca, cruda, flammea, calor cutis 35° R. urens, cutis sicca, exanthema in facie, antibrachiis et cruribus; reliquae cutis plagae exanthemate destitutae, caeterum colorem suum reliquasque qualitates

non mutavit, in locis exanthemate notatis cutis inflammatorie tumet, virium delassatio magna, pulsus 140 in minuto primo, duri, aequales, celerrimi, contracti.

Therapia. Sub hocce rerum statu, cum apparatus antiphlogisticus rigorosior incassum tentatus fuisset, systema nervosum, praecipue centrale graviter affectum sese manifestaret, cutis calor ad ardentem incresceret, illius siccitas pervircax maneret, pulsus celerrimi tangerentur, et quum nullum momentum frigoris externi usum vetans adesset methodus Doctornm *Wright* et *Currie* in usum vocata est. Instituebantur affusiones frigidae cum aqua fontana; decoctum althaeae mannatum et pulveres ex calomele continuantur.

Die 11. *Junii V. morbi.* Post affusionem calor cutaneus minuebatur, aegra in lectum reposita paulo post leniter sudabat, sudor totam fere noctem perdurabat cum manifesto aegrae levamine.

Mane. Physiognomia magis hilaris, redit conscientia, indifferentia minor, cephalaea fugata, oculorum splendor reviviscens, somnolentia, stupor multo minori intensitate, vertigo sub insessu, carebarya eodem tenore, turgor faciei calorque aucti, nares obstipae, labia sicca, lingua praerubra, tumens, sitis magna, deglutitio adhuc difficilis, angina non increvit, exsudatum autem lymphaticum quantitate majus, tenax, appetitus prostratus, sitis minus intensa, respiratio laboriosa, tussiculosa, tussis sicca, valde molestans, inspirium profundum indolens, perstat aphonia, alalia, pulsatio carotidum, tumor colli externus idem, dolorificus sub attactu, cardiopalmus molestans, abdomen molle, alvus bis mota, diarrhoica, urina parca rubra

calor cutis non adeo urens, cutis magis sicca. Color exanthematis non adeo profunde ruber, in facie et collo invenitur, in reliquis plagis eodem perstat flore, arteriarum ictus 140, duri, contracti, celeres, quoad rythmum et dynamin aequales.

Diagnosis. Scarlatina inflammatoria anginosa in stadio floris, nunc mitiori in gradu, si statum praesentem cum hesterno comparemus.

In *therapia* continuatum. Affusiones non repetebantur, quum cutis calor paululum remitteret.

Vesperi. Exacerbatio omnium symptomatum, congestiones versus encephalon majores, somnolentia major, stupor insignis, carebarya, turgor, calor, rubor faciei aucti, oculi languidi, respiratio laboriosa, cardiopalmus rebellis, sitis magna, calor cutis urens, cutis siccitas pergamenea, pulsus 140 duri, contracti, quae symptomata reiterationem affusionis frigidae expostulant, quam eo lubentius in usum iterum duximus, quum prima vice tanta cum euphoria et magno emolumento instituta fuerit.

In medicaminibus interne propinatis continuatum, sed propter sedes frequentiores dosis calomelis ad granum dimidium omni quarta hora porrigendum imminuebatur.

Die 12. *Junii. IV.* Aegra de nocte iterum leniter sudavit, per vices placide dormivit.

Mane. Caput minus obrutum, vertigo minus frequens, oculi vivaciores, turgor, calor faciei imminuti, nares obstipae, labia sicca, lingua rubra, tumida, difficile movenda, cynanche quoad intensitatem et extensitatem decrevit, deglutitio adhuc difficilis, sed indolens, aphonia perstat. Respiratio magis placida, tussis valida, fre-

quens, molesta, abdomen liberum, alvus mota, urina profundius tincta, turbida. Desquamatio in facie jam visibilis, in extremitatibus exanthema adhuc floret; cutis calor auctus, pulsus non adeo frequentes, sed duri contracti, aequales.

Diagnosis. Scarlatina inflammatoria anginosa in decremento.

Therapia. In pulveribus ex calomele continuatur. Ad cutis functionem promovendam infusum florum verbasci cum saccharo propinatur, ad tussem leniendam linctus irritatas partes blande involvens ex mucilagine gg. arabici et syrupo altheae āā uncia dimidia constans praescribitur.

De die aegra quidpiam sudavit, caeterum morbi facies a matutino non abludens.

Ad vesperas. Status idem ac mane.

Alvus semel mota, urinia turbida, cutis quidpiam perspirans, calor non adeo urens, pulsus minus frequentes minusque celeres.

13. *VII.* Nox quietior. Per intercapedinem dormivit, tussis autem valde molesta, somnum fugans.

Mane. Status melior, congestiones sanguineae versus encephalon imminutae, carebarya mitior, deglutitio minus difficilis, tussis dolorifica, soluta magis, tamen excretio sputorum difficilis, respiratio citata, ronchosa, anxia, cardiopalmus, aphonia perstat, febris continua valida, sed dolor in regione laryngis et tracheae internus pungens, tussi et attactu auctus, facultates appetentes adhuc silent, se- et excretiones liberius procedunt, calor cutis non adeo urens, cutis mollior, urina critica, alvus saepius mota, pulsus frequentes, celeres, fortes, duri.

Therapia. Sanguisugae decem ad regionem laryngis et tracheae. His amotis, cataplasmata emollientia, interne decoctum althaeae cum drachma nitri praescriptum, in mercurii dulcis usu recedebatur ad granum unum spatio nychthemeri consumendum.

Ad vesperas. Nova exacerbatio. Somnolentia per vices intrans, carebarya, vertigo, turgor, rubor, calor faciei normam excedunt, labia sicca, lingua rubra, sicca, deglutitio indolens, difficilis autem ob tenacitatem lymphae exsudatae, sitis aucta, appetitus prostratus, aphonia, alalia, vibratio carotidum sat fortis, dolor pungens tracheae non profligatus quidem, sed imminutus, tussis frequens sicca, respiratio, laboriosa, abdomen liberum, alvus ter mota diarrhoica, urina absque sedimento. Cutis sicca, calor urens + 30° R., desquamatio in facie et collo rite procedens, praeparatur quoque in extremitatibus, pulsus frequentes **140**, duri, celeres, contracti.

Diagnosis. Scarlatina inflammatoria anginosa in stadio desquamationis cum magna perturbatione critica.

Therapia. Affusiones frigidae nunc tertia vice majori adhuc aquae quantitate instituebantur. In reliquis nil mutatum.

14. *VIII.* Perfusio magna cum aegrae euphoria instituta erat. Aegra de nocte sudavit, caephalaea decrevit, quies diutius concessa.

Mane. Caput magis liberum, physiognomia minus tristis, oculorum splendor rediit, turgor faciei non multum auctus, lingua facilius movetur, sapor metallicus, aliaque signa ptyalismi imminentis, appetitus silet, deglutitio facilior, aphonia perstat, pulsus minus

frequens, durus, aequalis, cutis calor normam non superans, functio cutanea reviviscit, desquamatio continuat in facie, exorditur in manibus et antibracchiis, exanthema in extremitatibus inferioribus sensim disparet. Abdomen molle, alvus semel mota, pultacea, urina hypostatica.

Diagnosis. Morbus versatur in stadio crisium.

Therapia. Pulveres ex hydrargyro muriatico miti seponebantur, in reliquis continuatum.

Ad vesperas. Status multo melior invenitur; febris mitior.

15. *IX.* Nox maxima ex parte somno quieto transacta. Aegra blande sudavit.

Mane. Caput liberum, physiognomia in dies exhilaratur, turgor faciei ad nomalem accedens, lingua bene movetur, rubra, angina in summo decremento, deglutitio libera, sapor depravatus, sitis modica, appetitus prostratus, respiratio magis libera, tussis adhuc frequens, sputis coctis puriformibus, criticis comitata, alvus mota, urina hypostatica, calor cutis iterum auctus, sed non urens, desquamatio bene procedit, transpiratio iterum suspensa.

Therapia. Decocto althaeae cum nitro addebatur uncia dimidia acetatis ammoniae soluti, ut functio cutanea blando hocce stimulo adjuvetur.

Vesperi. Status vix mutatus.

16. *X.* Nox sat quieta, somnus reficiens, tussi per vices turbatus.

Mane. Caput liberum, facies magis composita, oculorum splendor normalis, nares liberae, lingua humida, sapor limosus, sitis modica, angina faucium profligata, deglutitio libera, appetitus evigilat, respi-

ratio sat placida, vox minus rauca, distinctior, tussis frequens, soluta, in regione tracheae ad bifurcationem dolor adest pungens, attactu et tussi exacerbandus, abdomen liberum, cutis amoene calens, sed sicca, desquamatio in facie jam terminata, incipit in brachiis et manibus, in cruribus exanthema quoque dissipatur, alvus mota pultacea, urina sedimentosa, pulsus minus frequentes, 80, vires musculares redeunt.

Diagnosis. Scarlatina inflammatoria anginosa in stadio critico.

Therapia. Ordinatum est balneum tepidum $+27^{\circ}$ R., ut cutis functio promoveretur, nitro omisso in decocto althaeae cum spiritu Mindereri continuatum, collum cataplasmatibus emollientibus foveri jussum.

Diaeta adhuc tenuis. Pro potu infusum florum verbasci.

Ad vesperas. Aegra balneo tepido egressa multo melius valuit, cutis leniter sudavit; de nocte placidus somnus, per vices quandoque tussi turbatus. Alvus bis mota; continuatur in omnibus.

17\. *XI.* Functiones tum vitae sensiferae, cum animalis ac reproductivae ad tramitem normalem recedunt, tussis minus frequens, soluta, expectoratio facilior, sputa cocta.

Desquamatio melius procedit, in manibus forma laciniarum contingit.

Therapia. Balneum tepidum repetendum, in reliquis continuandum.

Vesperi. Post balneum aegra large sudavit. Omnes functiones bene procedunt.

Tussis sola adhuc permolesta, adest quoque dolor

in larynge, tussi et attactu exasperandus, pulsus 120, calor cutis amoenus.

Therapia. Sanguisugae 10 ad laryngis regionem adplicitae, quibus deciduis, cataplasmata emollientia admovenda, in reliquis continuatum.

18. *XII.* Status morbi eo melior, quod dolor ille in larynge remisit; tussis autem perstat, noctem inquietam reddens. Desquamatio bene procedit, cutis leniter transpirat, se - et excretiones normales, vires in dies increscunt.

Diagnosis. Scarlatina in stadio desquamationis. In therapia nil mutatur.

Quum autem tussis aegram valde molestet febrimque irritativam sustentet,

19. *XIII.* decocto althaeae nubebatur sal ammoniacus ob virtutem suam erethismum vasorum capillarium membranarum mucosarum pacantem, muci se - et excretioni ac diaphoresi faventem, systema nervosum erethismo excitatum compescentem.

20. *XIV.* Nox ob tussim molestantem inquieta. Caeterum aegra leniter sudavit.

Mane. Caput liberum, physiognomia sat composita, lingua pura, sapor normalis, appetitus viget, deglutitio libera, respiratio immunis, tussis perstat, sed soluta, sputis mucoso - salivalibus sociata. Abdomen liberum, alvus mota, urina turbida, pulsus frequentes adhuc, sed magis explanati. In therapia continuatum.

Pro victu lacticinium. Abhinc de die in diem status melior, tussis mitior, sputis coctis facile secedentibus comitata, desquamatio rite procedit, omnesque functiones ad normam revocatae ita, ut aegra die 17. Julii XLI. morbi sanata domum reverteretur.

Theses.

1. Receptivitatis prae reagendi facultate praepondium principalem animi adfectuum causam sistit.

2. Psychologia essentialem efficit medicinae partem, qua medicus rationalis nunquam carere potest.

3. Affusiones frigidae summum sistunt pro systemate nervoso stimulum, hinc egregie revellunt.

4. Historia morbi princeps curationis fundamentum.

5. Permultae nevroses in turbata systematis gangliaris functione fontem agnoscunt.

6. Phthisis tuberculosa non est labes organi solius, sed totius organismi.

7. Medicus, qui malum inveteratum remediis heroicis subito reprimere conatur, raro non nocet.

8. Vires medicamentorum ab effectibus in corpore humano accurate observatis, non vero solo ratiocinio dijucandae.

9. Cortex peruvianus in febribus sub certis circumstantiis specificum, sub aliis fere venenum.

10. Methodus antiphlogistica in cura syphilidis p
se valde incerta, saepissime nociva, hinc non commendand

11. Topica ulceris syphilitici primarii cura absq
interno mercurii usu non sufficit.

12. Matris lactatio lactationi cujuscunque alteri
praestat.

13. Cum foetus a primo conceptionis momento v
donetur, quocunque graviditatis tempore, qui foetum expe
lat, aut, si possit, expelli non impediat, homicidii reus e

14. Die meisten Augenkrankheiten sind als Refle
des krankhaft ergriffenen Gesammtorganismus zu betrac
ten; daher soll der Augenheilkünstler ein vielseitig geb
deter rationeller Arzt seyn.

15. Die Auscultation gehört zu den vorzüglicher
Mitteln, welche über das Leben des Kindes im Mutterlei
Aufschluss geben.

16. Bei complicirten Beinbrüchen des Unterscher
kels verdient die Beinbruchschwebe des Hrn. Prof. *Fri*
ihrer Einfachheit wegen vor allen andern den Vorzug.

17. Die Civialische Steinzermalmungsmethode mac
den Steinschnitt nicht entbehrlich.



5